Henry Constable Maxwell.

Carthingwell.

DVODECIM SPECVLA DEVM ALIQVANDO VIDERE DESIDERANTI concinnata.

Auctore P. IOANNE DAVID
Societatis Iesv Sacerdote.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. X.

Emblems
15

DEIPARÆ VIRGINI.

DOMINA mea ſancta MARIA, Regina cæli; quæ ſingulari prærogatiuâ, vnigeniti tui Deiqúe filij titulo fruens & fulgens, SPECVLVM SINE MACVLA, nuncuparis: quæque tamquã ſplendidiſſimum perfectiſſimumque cũctarum virtutum EXEMPLAR, in templo hodie PRÆSENTATA fuiſti: ecce ego (conſpectu tuo licet indignus) me tibi demiſſo in terram vultu, PRÆSENTO; & lubenti animo, SPECVLORVM iſtorum exilitatem, pudibundumque candorem, beniguiſſimo tuo patrocinio ac fauori dico conſecroque. Nam, cùm vniuerſum per orbem, tamquam

indubitata bonorum votorum cœptorumque fautrix & auctrix prædicêris, & manus tuæ tornatiles cæleſti benedictione hac polleant, vt quidquid illis ritè fuerit creditum, peculiari quadam efficaciæ gratiâ feliciter imbuatur: certa mihi à tam fauſto ſidere ſpes affulſit, fore, vt & ego in primis ex hac SPECVLORVM fabricâ & concinnatione, fructum mihi ſperatum, te patrocinante, eliciam; animæ, inquam, puritatem, lumen gratiæ, & poſt huius vitæ curriculum, BEATIFICÆ VISIONIS FRVITIONEM: tum verò, vt, ſi quē alium iſta intueri contigerit, is, eâdem tuâ ope ſuffragante, eiuſdem mecum fiat beneficij particeps.

Suſcipe igitur, obſecro, piiſſima DOMINA, humilis tui ſeruuli piũ votum & donum: atque VNIGENITO tuo, Domino noſtro, hunc in finem à te commendatum (quando qui-

doquidem bonorum noſtrorum non indiget) gratiæ ſuæ munere auctum redona: vt ad maiorem ipſius gloriam, tuum honorem, noſtrarumq; animarum ſalutem, vti valeamus. Audi clementiſſima GRATIÆ MATER, animam meam anhelãtem, eiuſque miſerere: audi quid cũ Sancto quodam, languida ſpiret & ſperet: *Credo videre bona Domini in terrâ viuentium. O bona Domini* dulcia, immortalia, incomparabilia, ſempiterna, incommutabilia! Et quando videbo vos, *bona Domini*? Credo videre; ſed non in terrâ morientium. *Credo videre bona Domini, in terrâ viuentium.* *Aug. in Pſ. 26.*

Quapropter, ſi me exaudieris, DOMINA: ego, & nomen & honorem tuum pro viribus propugnando & ampliando, me tibi fideliter, dum vita comes erit, famulaturum promitto.

AD SPECVLORVM INSPECTOREM.

AMICE *Lector*, & INSPECTOR: *quemadmodum qui* SPECVLVM *aliquod ſuis vſibus comparat, non prohibet, quo minùs illud alij quoque, dum occaſio datur, inſpiciant: non aliter ego, tametſi* QVODECIM ISTAEC SPECVLA *mihi potiſſimùm concinnarim, ignarus an aliquando in aliorum conſpectum prodirent; non impedio tamẽ, ſi quando fortaſſe lucem videre viderique contigerit, quin tu quoque in illis legitimè* SPECVLERIS, *atque eadem vtilitati tuæ pleniſſimo iure præcipias inſeruire.*

Si verò (quod fieri poteſt) tuum vſum à meo metiri ſit animus; ne curioſitati alioqui, quantumuis piæ, pluſculum detur: ego quidem hunc me fructum ex illorum CONTEMPLATIONE *collecturum ſperaui; primùm, vt purgato mentis obtutu, clariùs diuinam erga me voluntatem intuerer; tum vt iuxta normam illius, quaſi ſpiritalis perſpectiuæ prototypon, me*

me actuſque meos componendo, & VIDENDAE IPSIVS FACIEI in cælis, in me DESIDERIVM inflammarem, & eiuſdem aliquando idoneus fierem SPECVLATOR.

Quod cùm æternæ beatitudinis ſummíque boni ſummam complectatur; ad quam omnes, tam conditionis primogenio iure, quàm redemtionis merito, adſpiramus: non poſſum non tibi quoque tantumdem felicitatis, diuinâ charitatis lege ac neceſsitudine comprecari; quod facio. Hoc tantummodò à te, candide Lector, æquè candidè flagito; vt vbi boni conſulueris & cõmodè habueris, quæ minùs eſſent placitura; hunc in ſcopum, legendo cetera, & SPECVLANDO, *collimes, quem ego mihimet (vt iam intellexiſti) inter ſcribendum & depingendum, ſincerè præfixi. Idque non niſi optimo iure mihi videor poſtulare. Nam, ſi, quemadmodum mihi certò perſuaſi, nemini* SPECVLA *iſta nocitura, ſi candido rectóque oculo illa inſpexerit; ita non omnino nihil profutura ſperaui, modò lege iam dictâ vti voluerit. quis animum in re bonâ tam bonum non conſulat boni? Vale itaque, & fruere.*

PRÆAMBVLVM.

DESIDERIVS.

Ps. 17. DOMINE, *ante te omne* DESIDERIVM *meum: & gemitus meus à te non est absconditus.* Quemadmodum enim vniuersa terra de-
3. *Reg.* 10. siderabat vultum Salomonis: &
Ps. 41. quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus: sititque ad te Deum fortem viuum. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Hoc, Domine, desiderium meum ante te atque in conspectu tuo versatur quotidie, si fortè aliquando inueniat gratiam, & sui voti compos
Pro. 13 reddatur: sed quia spes quæ differtur, affligit animam; hinc ingemisco, suspiro collacrymans: & gemitus meus à te non est absconditus. Cupio namque cum Zacchæo videre IESVM, quis sit; & præ turbâ tam internorum quàm externorum impedimentorum non possum: tum quia staturâ pusillus sum, tum potissimùm,
Exo. 33 quia tu respondes mihi: Non videbit me homo, & viuet.

Heu mihi igitur, quòd incolatus meus prolõgatus est! & sicut ab oculis ita & ab occultis tuis quasi proiectus tuus, in hac lacrymarum valle peregrinari compellor. Interim, fiunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus? Hęc recordatus sum, & effudi in me ANIMAM MEAM.

Anima mea, quid agimus? quò nos tandem conuertemus, dum à facie dilecti nostri secluſi,

cum

cum habitantibus Cedar, ac tenebrosi huius exilij incolis, se inuicem affligentibus, & facientibus sibi inuicem angustias, lugentes cogimur conuersari, ac miseram in hac carne mortali seruire seruitutem?

Sed tamen, quid vsque adeò tristis es anima mea, & quare adhuc magis conturbas me? Spera in Deo: &, si quid tibi fortè solatij instillarit, ne quæso retineas verbum in tempore salutis; neque abscõdas sapientiam in decore suo. Nam & ego tibi, dilecta mea, reuelabo fideliter, si fortè quem diligis, prior inuenero, & salutare eloquium ex mellifluo ipsius ore percepero. *Eccli. 4*

ANIMA.

Quid vis, ô dilecte contubernalis, vt dicam tibi? Tota moror in amaritudine; & tabescere me facit zelus meus. Amo, desidero, concupisco, quæro: & dum non inuenio, langueo, gemo, & suspiro. Suspiro, clamo, & plorans ingemino; Quis es Domine? vbi es Domine? qualis es Domine? vbi cubas in meridie? vbi pasceris? vbi vident te, & te fruuntur dilectæ tuæ, sponsæ & sorores tuæ, fideles animæ? ibo post vestigia earum; curram in odorem vnguentorum tuorum; & sequar, quocumque me traxerit tactus & tractus à te amor meus. Tu namque scis Domine, quia amo te. Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram: quia in toto corde meo exquisiui te, & quidem non nisi propter te; atque hoc totum, quia traxisti me, & miserans misertus es mei. Illumina igitur Domine vultum tuum super nos, & miserere nostri. Ostende nobis faciem tuam, &

salui erimus. Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

DESIDERIVS.

Quid adhuc audio te lamentantem ô anima mea? Non recordaris quid responderit olim duobus dilectis discipulis suis dilectus tuus? Nescitis quid petatis. Sicut enim sedere ad dexteram & sinistram ipsius, vt postulabant, non erat ipsius dare illis: ita nec dare tibi faciei suæ conspectum, quemadmodum illum modò requiris. Sed, quid ô anima mea interim concidit facies tua? Suspice cælum, intuere & contemplare æthera, quòd altior te sit: & quid tamen ista ad incomprehensibilem quam desideras visionem eius? An etiam nescis, quòd frustrà cordis oculum erigit ad videndũ Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum? Prius est siquidem, vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quàm possis esse idonea ad cognoscenda inuisibilia Dei. Et, si non potes cognoscere te, ne præsumas ea quæ sunt supra te.

Iudith 6.

Gen. 4.

Iob 35.

ANIMA.

Prudenter hæc quidem, & rectè mones mi frater: quid tamen hoc esse dicas, quòd inuisibilia illa Dei, quæ verè videre desidero, nescio quo pacto, quo plus latent plus placent; & negatis auidiùs inhiamus.

DESIDERIVS.

Amantis, & quidem ardenter amantis ac desiderantis indicia sunt ista: sed, quid iuuet illis insistere, quando ad concupitæ visionis fruitionem

nem talibus mediis non datur peruenire? Et, quis ex hac amoris prærogatiuâ impensum sibi glorietur quod optat, repensumque vicissim à se quippiam dignum Deo præsumat; vel, se liquidò nosse, dum necdum tenet, quod toto corde desiderat; nisi qui præcipuâ mentis puritate, & corporis sanctitate, in semetipso meruerit tale quid, quasi per præambulum, experiri? Res est in affectibus; nec ratione ad eam pertingitur, sed conformitate.

ANIMA.

Conformitate, ais? Et quonam illam modo conformitatem obtinebimus, quo tandem ad concupitam illam ac beatificam Dei visionem admittamur?

DESIDERIVS.

Audi istud testantem eum, qui expertus loquitur; & imitari contende, vt tu quoque tali visioni te valeas comparare. Nos autem, inquit, reuelatâ facie speculantes gloriam Dei, in eamdem imaginem transformamur, de claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu. Transformari oportet, ô anima mea, & purgare mentis oculum: vt, quò magis Deo in puritate ac sanctitate similes futuri sumus, eò clariùs eum aliquando videre possimus. 2. Cor. 3.

ANIMA.

Placet quod dicis quàm maximè; sed quà dabitur istud complecti, & actu perficere.

DESIDERIVS.

Quod sermo non explicat, consideratio quærat,

rat, oratio expetat, mereatur vita: atque ita puritas assequetur. Tantùm esto animo bono, & adnitere: fontem suum, mentem nimirum de quâ oritur, ipsamet consideratio purificabit: dein reget affectus, diriget actus, corriget excessus, componet mores, vitam honestabit, & ordinabit: postremò, diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam, scientiam inquam Sanctorum, conferet; & animam ad videndum Deum quàm aptissimam reddet: hîc quidem beatitudine naturali, quâ intellectus clarè Deum cognoscat, & vt bonorum omnium auctorem diligat; & post hanc vitam beatitudine supernaturali, quâ Deum cognoscat & videat sicuti est, eoque fruatur in perpetuum. Et hæc est vita æterna, beatifica illa visio ac diuinæ gloriæ participatio, fine caritura, quam pariter quærimus.

ANIMA.

O quàm bonum erit nobis illic esse! quocircà nos ei hîc (vt dixisti) conformes efficere studeamus. Sed, vnde quæso nobis tam efficax consideratio, quam instar SPECVLI nobis iam descripsisti, quo ad puritatem illam optatam ac necessariam veniamus?

DESIDERIVS.

Hoc vnum mihi velim credas, ô anima: præcipuum SPECVLVM ad videndum Deum, esse animum rationalem, intuentem seipsum; & tam diu se illius ope purificantem, donec in semetipso, velut in SPECVLO, Deum contempletur.

Qua-

Quapropter, dicam quid cogitem modò. Varia in mentem veniunt SPECVLA, per quæ licebit exſpatiari, & ex omnibus, quod vſui tam ſalutari conueniat, diſcretè ſeligere: vt mens noſtra, diuinæ bonitatis ſpeculum, & idoneum beatificæ viſionis receptaculum, aliquando eſſe mereatur.

ANIMA.

Rectè: probatur quod conſulis, quandoquidem nos etiam Sanctus quidam ſic admonet: Oculus, quo Deus videndus eſt, nunc fide mundetur. Beati enim mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt. Alioqui, non ignoramus, quòd viuere quidem omnes beatè volunt; ſed ad peruidendum, quid ſit, quod beatam vitam faciat, caligant. *Mat. 5.*

Eapropter oramus te Domine; illumina vultum tuum ſuper nos: vt, ſicut imperfectum noſtrum vident oculi tui; ita nos, quid tibi in nobis diſpliceat, videamus, & quaſi ad SPECVLVM emendemus: quodque acceptum & gratum eſt in conſpectu tuo, hoc ipſum tuâ gratiâ confirmetur, & in opus perfectum deducatur.

IN

IN DVODECIM SPECVLA DEVM aliquando videre DESIDERANTI concinnata.

OLim me ſpeculo, ne vanus haberer, in vno
Explorare, metus relligioq; fuit.
Rebar enim, ſpeculis in læuibus, atque ea fama eſt,
Argumenta leuis non leuia eſſe animi.
At, poſtquam SPECVLIS *me pluribus intuor; ecce,*
Nec metuo vanus, nec metuo eſſe leuis.
Quin magis atque magis quò me iuuat vſque tueri;
Hoc minùs & vanus fio, minuſq; leuis.
Quæ ratio hæc, oculi? SPECVLIS *qui luſus in iſtis?*
Dicite, ſed nî eſtis capti oculis, oculi.
Scilicet hos aliquis cæleſtior ignis aduſſit,
Aethereo Auctoris ductus ab orbe manu.
Hunc ignem, has flammas, SPECVLIS *deprendet in iſtis,*
Qui non ingratâ triuerit illa morâ.
Hîc ſe deflebit, ſeſe hîc mirabitur; & quod
Antè fuit, ſpernet; quódque erit, eſſe volet.

P. H. S. I.

DVODECIM SPECVLA.

I. *Speculum commune.* fol. 1
II. *Speculum fallax.* 13
III. *Speculum vrens.* 27
IV. *Speculum complacentiæ.* 41
V. *Speculum oculorum alienorum; quod est, laudis alienæ.* 55
VI. *Speculum propriæ vilitatis* 69
VII. *Speculum purgatiuum.* 83
VIII. *Speculum creaturarum.* 97
IX. *Speculum sacræ Scripturæ.* 111
X. *Speculum exemplare.* 127
XI. *Speculum ænigmaticum.* 143
XII. *Speculum visionis beatificæ.* 159
CONCLVSIO *omnium, cum pio ad* DEVM, *ad* B. MARIAM, *& ad* ANGELVM CVSTODEM, *alloquio.* 178

Naturam iuuat artis opus; SPECVLOQVE magiſtro,
Præcipit arcanas emaculare notas.

A. *Iris, in nubibus ſolem refert:*
B. *Sed imperfecta eſt ſolis imaginatio.*
C. *Socrates ſuorum mores ad ſpeculum format.*
D. *Pythagoras iubet ſuos ſe ad ſolem in ſpeculo contemplari.*
E. *Quid iuueni diſcendum ex ſpeculo.*
F. *Quid ſeni conſilio ſpeculi meditandum.*

DVODECIM SPECVLA DEVM ALIQVANDO VIDERE DESIDERANTI concinnata.

I. SPECVLVM COMMVNE.

DESIDERIVS.

QVAM *dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Psal. 83 Sed, quid dicit Propheta? quomodo legis, ô anima mea? Nónne te conturbant, quę illic interrogat, & ingredi desiderantibus clarè prescribit? Auribus percipe verba eius, & in corde tuo fideliter rumina. Quis ascendet, inquit, in montem Domini? Psal. 23 aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. Quæris quidem dilecta dilectum, & ego tecum: sed, nec

es manibus innocens, nec corde mundo: & ego multipliciter in vano accepi & possedi te, in hunc vsque diem, annorum vitæ, viæ inquam peregrinationis meæ. Quid igitur agimus, ô soror & comes viæ; quid inquam agimus? Sicut dilectus noster dilectam ac diligentem desiderat: ita pulcher pulchram, formosus formosam, purus puram, & castus non nisi castam quærit. Nónne sic audis illum compellantem nonsemel, sponsam suam, electam ex millibus?

Cãt. 1. 4. 5. & 6. Ecce, tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es. Nam & vice versa respondens ac congratulans illa, quamprimùm idem elogium ei decantat: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Quò nimirum declaret, pulchro non nisi pulchram coniungi animam, & sanctam sancto. Quæ enim communicatio pulchri cum fœdo, & sancti cum profano?

ANIMA.

O speciose formâ præ filiis hominum, in cuius labiis diffusa est gratia! Heu mihi, quàm me meæ turpitudinis pudet, piget, & pœnitet! Nec specioſi pedes, nec mundæ manus, nec facies decora, nec oculi puri sunt, & cor immunditiis scatet. Ecquâ igitur viâ vel gratiâ gratiam in oculis tuis inueniam? quomodo comparebo tam deformis & incomta ante faciem tuam? aut quî fieri poterit, vt aliquando tibi tam fœda consocier; tibi inquam, cuius pulchritudinem, sol, stellæ, & luna, mirantur? Quò me conuertam infelix & desolata, in quâ nec species, nec decor, nec quidquid pulchritudinis reperitur?

DESIDERIVS.

Viriliter age, & confortetur cor tuum, ô anima

ma mea, & Dominus miſerebitur noſtri. Conſideremus inuicem in prouocationē charitatis, *Heb. 10* & propriam turpitudinem agnoſcamus: nam optima ad perfectionem via, ſua ipſius imperfectionem ac defectū fateri. Itaque, SPECVLVM iſtud, ſi placet, contemplemur: ſed non obiter neque per tranſennam vt dicitur, & imperfectè: neque etiam illorum more, qui non tam ad corrigendum quod vitioſum eſt, quàm ad euanidi cordis fouendā ſtultitiam illud inſpiciunt. Neque enim cuiquam relinquitur dubium in
A meteoris vtcumque verſato, quin iris, ſiue arcus ille cæleſtis, in nubibus cæli ob id malè expreſſi
B ſolis imaginem referat; quòd nubes, ſpeculi formam ac vicem obeuntes, non omnem ſui officij numerum impleant. Nam cùm partes earum aliæ ſint tumidiores, aliæ ſubmiſſiores; quędam autem craſſiores quàm vt ſolem tranſmittant, aliæ verò imbecilliores quàm vt excludant; inæqualitas iſta, alternis lucem vmbramq; commiſcens, exprimit illam mirabilem arcus varietatem. Cùm itaque indebita fiat ſolis obiectio, neque apta ſit ſpeculi cum admiſſis ſpeciebus proportio: hinc color quidem igneus à ſole eſſe cognoſcitur, cæruleus autem à nube; ceteri verò, vtriuſque mixturæ; ſed perfecta ſolis imago non exprimitur. Ita prorſus illis accidit, qui indebito ſe modo cōtemplantur, reſque ſuas nō vt oportet expendunt. Neque illo quoque modo nos contemplemur, quo illi de quibus Apoſtolus hanc in ſententiam loquitur: Si *Iac. 1.* quis adiutor eſt verbi, & non factor; hic cōparabitur viro conſideranti vultū natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe, & abiit; & ſtatim

oblitus est, qualis fuerit. Sed, qui ita fixis oculis illud intuitus fuerit, & quodam modò perspexerit; ille ipsius obsequio ad bonum vti perhibebitur: nam etiam ad spiritum vsque penetrabit.

ANIMA.

Sed, quid mihi SPECVLVM applicas, quod formis tantum modò facierum vultibusq; corporeis cõtemplandis subseruiat? Longè etenim alia est animæ facies, ac pulchritudo formæ quam quærimus, ac sine qua dilecto nostro placere non possumus, quàm forma corporea ac terrena. De visibili siquidem specie, mediisque illius ornatui seruiẽtibus, scimus ita interminatum Prophetam: In die illa, auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & SPECVLA. Immò audi quid amplius: Pulcherrimi quique viri in gladio cadent. *Isa.3.*

DESIDERIVS.

Scio, & memini optimè: sed, penitiùs volo te SPECVLI huius vim atque efficaciam scrutari & experiri; quæ interiores quoque animi recessus rimetur ac penetret: ibique latentia mẽtis arcana ac vitia deformitatesque ad cutis superficiem adductas palàm reuelet, ac detergere doceat. Adeò, vt speculi corporalis ac planè communis obsequio, teipsam in abdita mentis ac spiritus habitudine, ad meliorem formam queas perducere: sitque futurum tibi, æquè ac corpori, iuxta Poëtam,

Consilium formæ, SPECVLVM. ——

ANIMA.

Quandoquidem hanc, ô frater, pulchritudinem vnicè exoptamus; quâ pulcherrimo præ omnibus pulchris ac speciosis placere contendimus:

dimus: quid differimus hunc tam fauſtum ſpeculandi modum excutere, atq; ad vſum quàm citiſſimè adhibere? Dic igitur, per dulce hoc vitæ communis vinculum obſecro, quonam pacto fiet iſtud, quod dicis; quoniam modum non cognoſco, vt vultum mentis atque animi in corporali ſpeculo contemplemur; imò, & quod in eo vitioſum eſt, corrigamus?

DESIDERIVS.

Numquam ne audiſti dilecta, & ſoror mea, dilecto placere deſiderans, dicentem Sanctum quemdam; quòd ſpeculum mentis, ſit facies? quodque taciti oculi, cordis fateantur arcana? Et quidem res ipſa loquitur. *Hier.*

ANIMA. Audiuerim, vel non audiuerim: verum eſſe tamen, non inficior: nam, Frons hominis, animi nuntius eſt: &, vt Sapiens inquit, Sapientia hominis lucet in vultu eius. Sique (vt idem teſtatur) per triſtitiam vultus, corrigitur animus delinquentis: neceſſarium eſt, vt delicta illa ſua in indignatis obtutu, quaſi in SPECVLO quodam, contempletur, quæ corrigat. Sed, quid mihi ſpeculum iſtud materiale hunc in vſum præſtabit? Rem oppidò opportunam facturus, ſi explices. *Eccle.8.*

DESIDER. Dicam, faciamque intelligas; ſi priùs tamen Plutarchum, Dialogo de cohibendâ irâ, loquentem audire non renuas. Sic enim ille inquit: Si quis elegans & accuratus comitetur famulus; ægrè non tulerim, ſi mihi iraſcenti SPECVLVM offerat: ſicut nonnullis, vbi lauerint, nulla vtilitate exhibetur. Etenim, videre ſeipſum, contra naturam affecto & conturbato vultu; non parum facit, ad damnan- *Plutar.*

dam iram. Ita & Plato discipulos suos admonebat, vt se ebrios in speculo contemplarentur. Sic enim fore, vt dum faciem suam, furibundam & phrenetico similem intuerentur, in posterum ab ebrietatis vitio abhorrerent. Quin & patresfamilias olim eumdem in finem atque vsum, filios suos in famulorum ebriorum fanaticâ turbulentaque facie, quasi in quodam speculario orbe sibi obiecto, quid sese dedeceret, intueri iubebant. Vnde & Socratem Philoso- C
phum legimus speculo ad morum disciplinam formandosque animos esse vsum. Quippe suasisse discipulis fertur, crebrò vt semet in speculo contemplarentur: vt, qui eorum foret pulchritudine sibi cõplacitus; procuraret, ne corporis dignitatem, morum dehonestamento pollueret. Qui verò minùs in se visendam formam inspectasset, minusque se eo nomine commendabilem; nauiter consurgeret, vt virtutis splendore, inopiam formæ collustraret, atque ingenio damna corporis ac naturæ rependeret.

Videsne, ô anima mea, Speculi huius artificialis auxilio, etiam ad intima mentium penetrari, virtutes ac vitia inuestigari, deprehendique? Videsne illas huius instrumenti adminiculo, si insint animo, foueri; sin desint, inseri? hæc verò, meliorum morum fidelia obliterari? Sed attentâ consideratione opus; neque satis, inanium hominum more, vultus superficiem saltim raptimque inspicere. Eapropter Pythagoras D
mandabat discipulis, in speculo se, non ad lucernæ alicuius lumen, sed illustri sole contemplari. Quo dicto tamen non inconcinnè simul innuebat, cum doctissimis esse conferendum pedem:

pedem : vnde illuceſcat clariùs, quantum promouerimus, quantumque nobis ad ſummam deſit. Sapientiorum namque congreſſus, inſtar ſpeculi ad ſolem illuſtris, quid debeat de ſe quiſque ſentire, manifeſtat. Vnde etiam ſpecula ad hoc eſſe inuenta legimus, vt homo ipſe ſe noſceret. Multi ſiquidem ex hoc conſequuntur, primò ſui notitiam, mox & conſilium quoddam. Formoſus, vt vitet infamiam, nec Libycis ſe vitiorum Syrtibus adobrui ſinat. Deformis, vt ſciat, virtutibus redimendum quid-
E quid corpori defuerit. Amplius, vt iuuenis, flore ætatis admoneatur, illud tempus eſſe diſcendi,
F & fortia audendi : ſenex, vt indecora canis deponat, & de morte aliquid cogitet, admoueri ſibi lineas ſentiens.

Seneca lib. 1. Nat. quæſt.

Sed & natura, hunc in finem benigna, facultatem iſtam vel inopi ſeipſum videndi impertita videtur. Fons enim cuique perlucidus, aut læue ſaxum, imaginem reddit. Vnde & ſpeculorum originem non contemnendi auctores prodiiſſe exiſtimant, eaque occaſione & ſimplex antiquorum vſus commendatur, & poſterorum luxus perſtringitur. Qualem (inquit quidam) fuiſſe cultum putas ad hoc ſpeculum ſe comentium? Ætas illa ſimplicior, & fortuitis contenta, nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum naturæ in libidinem luxumque rapiebat. Primò, faciem ſuam cuique caſus oſtendit : deinde, cùm inſitus ſui mortalibus amor dulcem adſpectum formæ ſuæ faceret; ſæpiùs ea reſpexêre, in quibus priùs effigies ſuas viderant. Poſtquam verò deterior populus ipſas ſubiit terras, effoſſurus obruēda;

Idem, qui ſuprà.

ferrum primò in vſu fuit: & id homines impunè eruerant, ſi ſolùm eruiſſent. Tunc demum alia terræ mala, quorum lęquitas aliud agentibus ſpeciem ſuam obtulit: quam hic in poculo, ille in ære ad alios vſus comparato, vidit: & mox proprius huic miniſterio præparatus eſt orbis: nondum argenti nitor, ſed fragilis viliſq́ue materia. Tunc quoque cùm antiqui illi viri inconditè viuerent, ſatis nitidi, ſi ſqualorem opere collectũ, aduerſo flumine eluerent; cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere; & in hac re quiſque ſibi alteriq́ue operam dabat inuicem. Coniugum quidem manu, crinis ille, quem effundere olim mos viris fuit, attrectabatur: ſed illum ſibi ſine vllo artifice formoſi quatiebant, non aliter quàm iubam generoſa animalia. Poſteà, rerum iam potiente luxuriâ, SPECVLA totis paria corporibus, auro argentoq́ue cælata ſunt, denique gemmis adornata: & pluris vnũ ex his feminę conſtitit, quàm antiquarum dos fuit illa, quæ publicè dabatur Imperatorum pauperum filiabus. An tu exiſtimas, ex auro nitidum habuiſſe Scipionis filias ſpeculum, cùm illis dos fuiſſet ęs graue? O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit! Non feciſſet illis Senatus dotem, ſi habuiſſent. At, quiſquis ille fuit, cui ſoceri loco Senatus fuit; intellexit ſe accepiſſe dotem, quam fas nõ eſſet reddere. Iam libertinorum virgũculis in vnum ſpeculum non ſufficit illa dos, quã dedit Senatus pro Scipione. Proceſſit enim immodeſtiùs, paulatim opibus ipſis inuitata luxuria; & incrementum ingens vitia acceperunt. Adeoq́ue omnia indiſcreta ſunt, peruerſiſſimis artibus, vt quid-

quidquid mundus muliebris vocabatur, sarcinę viriles sint; minus dico, etiam militares. Iam, SPECVLVM ornatus tantùm causa adhibitum; nulli non vitio necessarium factum est.

Ecce, ô anima mea, quàm graphicè, nõ solùm optatim speculi vsum, quo vitia quoq; interiora prodantur atque eluantur, depictum vides; verumetiã totius mundi corrupti vanitatem & luxum, tam iuuenum quàm adolescẽtularum, ob oculos nobis tamquam in speculo positum! Quem etiam in modum hanc speculis abutentium plusquã puerilem ineptiam alio quodam loco idem auctor disertissimis verbis insectatur. SPECVLVM, inquit, in quod adspicimus, ac speciem, hoc est effigiem nostram contemplamur; datum nobis à natura fuit, non vt pilos è superciliis aut barbâ velleremus, non vt faciem inficeremus coloribus, non vt rugas traheremus: sed, vt nosmetipsos nossemus, moresque illius intuitu in melius formaremus; prout antiquos illo vsos fuisse cognouimus.

ANIMA. Numquam (vt verum fatear) tantum tamque eximium etiam veræ virtutis fructũ ex speculis colligi posse mihi persuasi. Sed, quàm dolendum, tam parum id viros ac mulieres, ac præsertim comtulos æui nostri peruersi adolescẽtes, animaduertere; atque abuti potiùs tam præstãti naturæ beneficio, quàm, sicut olim illi philosophi suos docebant discipulos, vti in bonum virtutis obsequiũ! Verè prorsus molles isti atque degeneres, sibi peius volũt, quàm ipsa natura voluerit; quę, cùm illos viros finxerit, ipsi se ad speculũ refingunt in feminas. Curiosiùs, morosiùs, maioriq; cum studio, se comunt, poliunt,

liunt,moliũtur,cincinnos cõcinnant,ſupercilia, barbam (ſi quid tamen eius habẽt) & collarem ornatum adaptant, quàm quævis virguncula cum vniuerſo ſuo mundo muliebri poſſit effingere. O degeneres animos, & viros parũ viriles; ſub Sardanapali potiùs,quã ſub alicuius Hannibalis aut Epaminondæ cẽturiandos manipulis!

DESIDERIVS.

Meritò terreat eos,præſaga illa damnationis,
Ioel. 2. Ioëlis ſententia: A facie eius (iudicis ſcilicet & vindicis Dei) cruciabuntur.nam Domini terribilis facies,faciebus ipſorum, vt aptè cõparatus ita intolerabilis cruciatus futurus eſt. Omnes vultus eorum (inquit) redigentur in ollam. Nam,præterquam quòd inexplicabilis illorum erit cruciatus, qui à facie irati iudicis in eos torquebitur, etiam inſuper vultus ipſorum quorum hîc tam ſtudioſi ac curioſi fuerint cultores, ita illis ipſis peculiarem tormentorum moleſtiam parient, ac ſi omnes ſic comtæ & fucatæ facies in ollam ignitam coniectæ ebullientes ac efferueſcentes ſe inuicem acribus morſibus ac dilaniationibus impeterẽt & lacerarent; præter communem cum reliquis damnatis, ardoris & concoctionis acerbitatem. Adde,quòd præ fœditate atque nigrore horribili, nigris potiùs ollis ſimiles apparebunt, quàm humanæ alicui faciei.

DESIDERIVS.

Nos igitur,ô anima,ſi ſapimus, interioris formæ ac pulchritudinis capti cupidine atque amœnitate, SPECVLI huius obiectu (quantùm fieri poſſe didicimus) indecentem animi ſtatum, ex ipſius contemplatione, more maiorum,

rum, non solùm elicere, sed eluere quoque satagamus Siqúe penitiùs eiusdem obsequio, per transparentia latentium affectuum signa, in mentis recessum penetrare non neglexerimus; statim iracundiæ feruor, æstus libidinis, inuidiæ liuor, intemperantię luxus, acediæ tabes, tumor superbiæ, ceteræque animi malè affecti intemperies, instar talpæ & soricis, suis se prodent indiciis, ebullienti nimirum molitione, & arrosione.

Iam verò quid opus id dicam? Nosti siquidem per temetipsam, ô soror, tali modo maculas animi deprehendisse, atque foras in lucem apertam produxisse, quàm non contemnenda sit ad munditiem ac nitorem via. Quocircà, qualecumque hoc in genere nobis beneficij præsens præstitit speculum; præstantius illud nobis eâ ex parte digniusque futurum est, quàm illud, quod excellens ille sculptor Praxiteles argenteum siue aureum primus fecisse perhibetur.

ANIMA.

Felix faustumque sit SPECVLI huius primi non inamœnum experimentum. Non erit quod susceptí laboris pœniteat, si ceterorum successus his cœptis responderit.

Domine Deus, qui cordium es inspector, & secretissimas intueris abyssos; quique de cælo prospectans, vias nostras actusque considerás: vtinam tamquam diuinæ tuæ præsentiæ speculatores, ita consilio SPECVLI, nos nostraque omnia disponamus, vt tuæ sint placita voluntati.

II. SPE-

FALLACIS SPECVLI caueſis te ludat imago:
Non aurum eſt, quidquid bractea fulua tegit.

A. *Fallax et mendax ſpeculum.*
B. *Stultus ſe in luna contemplans.*
C. *Fallitur, pro angelo dæmonem pingens.*
D. *Mundus, ſpeculorum fallacium fallaciſſimum.*
E. *Mundus lunâ inconſtantior.*
F. *Vulpecula, mundi fallacis typus.*
G. *Vulpecula, in concha è ſapone bulloſum mundum feſtucâ excitat.*
H. *Tigris viua adhuc capi nequiuit.*
I. *Catulus aliquando ab equite furripitur.*
K. *Mater obiecto ſpeculo fallitur.*
L. *Chamæleontis vafricies.*

II. SPECVLVM FALLAX.

DESIDERIVS.

EAMVS nunc, si lubet, ô anima mea! de SPECVLO ad SPECVLVM; vt delibata cuiusque speculationis ocularis indagine, sublimioris tandem theoriæ reddamur participes; atque intellectus acumine, diuinæ pulchritudinis excellentiam (quantum quidem humanæ imbecillitati permittitur) aliquatenus deguſtemus. Dici namque de nobis tunc poterit illud Prophetę: SPECVLATOR *Ephraim cum Deo meo.* Tunc siquidem veri Ephratæi (quod est frugiferi & crescentes) cum Deo nostro futuri sumus, si in puritate mentis, & perfecta Dei dilectione cum ipso coniuncti, de bono semper in melius profecerimus. SPECVLVM itaque istud in speculorum serie primò subiunctum, quâ par est prudentiâ contemplemur. *Oseæ 9.*

Sed, quid hoc rei est? ô anima! In SPECVLVM FALLAX & mendax incidimus; cuius infido ductu, similes illorum (nisi nobis cauerimus) futuri sumus, de quibus Propheta conqueritur, hunc in modum: SPECVLATORES eius cæci omnes: nescierunt vniuersi. Canes muti, non valentes latrare: videntes vana, dormientes, & amantes somnia. Nam, tametsi Propheta de vigilum speculâ, nos autem de speculo contemplationis agamus; quantum tamen præsagit animus, in eadem per fallax hoc speculum infelicitatis incommoda, si *Isa. 56*

fueri-

fuerimus incurij, dilabemur; quæ ibi de vanis, falsis, fallacibusque ac mendacibus prophetis ceu speculatoribus Propheta commemorat. Quid namque discriminis, inter speculatorem cæcum in speculâ, & inter oculatum contemplatorem in speculo, sed fallaci ac doloso. Quidve interest, inter speculatorem, præ cæcitate nescientem quid foris agatur; & inter sui considératorem in speculo mendaci, rei veritatem celante? Et demum quid refert, an speculator è speculâ videat vana, dormiat, & somnia diligat; an verò seipsum contemplans in speculo, præ fallaciâ optices & perspectiuæ, ludificetur adspectu; sitque vicinius somnio, quod videre se credit, quàm rei ipsius veritati? Itaque, si sapimus, ô soror dilecta, anima mea, nihil nobis tam versicolori credendum est speculo. Verumtamen, quò magis nobis ab omni fallaciâ sit cautum: naturam ipsius vafram, veteratoriam, ac malignam inuestigemus.

ANIMA.

Ediffere igitur, obsecro, mi frater dilecte, quænam sit primaria fallacis huius SPECVLI natura atque ex arte conditio. Nam existimo, quemadmodum vnica est linea recta, curuæ autem innumeræ: ita verax speculum vniforme, sincerum, ac simplex; sed mendax & fallax multifarium, multiplex, formarumque diuersissimarum.

DESIDERIVS.

Planè, vt dicis, ita se habet, neque facilè est scrutabilis eius nequitia. Illud verò primariâ signi-

A significatione fallax ac mendax speculum nuncupatur; quod non fideliter obiectam speciem, sed planè aliam atque ementitam repræsentat: adeò vt interdum etiam formosissimi deformes appareant, & è conuerso deformes pulcherrimi; prout disposita est, certoque artificio temperata speculi superficies, aut ipsa materia. Vnde & poëta quidam, deformem quamdam, quæ, quòd pulchra quandoque fuisset, rugosam nunc senio faciem nollet agnoscere, & speculi potiùs vitio attribueret errorem, sic de speculo suo conquerentem inducit:

Cumq; aliquis dicet, Fuit hæc formosa; dolebis, Trist. 3
Et SPECVLVM MENDAX *esse querêre tuum.*

Adeò, vt eapropter quoque, siue quòd verè specula fallerent, neque obiectam sincerè effigiem redderent (qualia extitisse poëta supponit) siue quòd repræsentatæ per specula effigies & formę intuentibus non arriderent, dicit idem auctor prædicitque aniculis, hoc modo:

Tempus erit, quovos SPECVLVM *vidisse pigebit:* Ouid.
Et veniet rugis altera causa dolor.
Flet quoque, vt in SPECVLO *rugas adspexit aniles* Idem.
Tyndaris: & secum, cur sit bis rapta, requirit.

Quò spectat illud quoque, quod dicit quidam, & rectè: Senibus inuisa specula. Senes enim atque anus, dictante naturâ, specula longè proiiciunt: ne, si se in illis contemplari velint, immutatam faciem non agnoscant, & se alios esse atque videri, lamentari cogantur. Ad quos Lyricus respexit hisce suis versibus, sic canens: Horat. Carm. lib. 4. Od. 10.

Dices, heu (quoties te in SPECVLO *videris alterum)*

Quæ

Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel, cur his animis incolumes non redeunt genæ?

Tametsi verò, fallacia illa proprio vocabulo specula appellentur, quæ aliam quàm obiicis effigiem ac figuram repræsentent, aut eamdem aliter quàm verè est efformatam: fallacia tamen & illa vocari possunt, de quibus Iustinus Martyr, quando in eas feminas (tametsi Christianas) declamat, quæ dolosa arte tentabant eiusmodi quæ Christianis essent alioqui mulieribus interdicta. Sic enim ait: Vsu venit quibusdam, seipsas fallentibus (ecce fallaciam speculantium) vt cùm apertè vultum pigmentis fingere non audeant, arte id faciant. Nam, in vndam aut oleum facie inclinatâ despicientes, de seipsis iudicant, an aduersus castitatem belligerare possint. Non quòd specula illa naturalia fontis vel olei fallerent intuentes; sed quòd illæ curiosæ, tali arte vtentes, præscriptam pudicis Christianis mulieribus legem eluderent. Quales etiam, quasi pudicitiæ nundinatrices eas habet Tertullianus: quæ, vt ait, consilium formæ à speculo petunt. Reprehenditque idem in viris, SPECVLVM omni ratione adhibentibus, consulentibus, anxieque inspicientibus: quasi verò verè formosi, præstantique formâ ac corpore existant, dummodò vel ipsi sibi tales appareant, vel qualicumque fallaciâ speculum tales repræsentare videatur.

Iustin. Mart.

Quis enim tam parum in rationis rectæ speculo est versatus, qui non clarissimè videat, inanes eiusmodi speculatores ac speculatrices, insipienti ac imminuto homini cerebro esse simi- B

ſimiles; qui fortè per ſpeculum diaphanum tranſparenſque vitrum ſeſe in lunâ conſideraret, & eam, quæ in ipſamet lunâ ſpectantibus apparere videtur obtuſa admodum humana facies, ſuam ille effigiem delirus ſpeculator exiſtimaret? Et certè, tametſi opinione ſuâ ipſe falleretur, non vſqueadeò tamen à vero aberraret, cùm ſtultus vt luna mutetur, & ne- Eccli. ſcio quam ſibi ex ſpeculo quantumuis men- 27. daci affingant pulchritudinem, indefeſſi quidam ſpeculorum aruſpices. Nónne ſic etiam Acco vetula (de quâ Cælius) ſeipſam imprudens fefellit ad ſpeculum; dum faciem ſuam (tametſi inſigniter rugoſam) in illo conſpiciens, ſecum, quaſi cum alterâ ſe, corridere cœpit & colloqui? Et, quæſo te, quid minus faciunt illæ, quæ finem non faciunt, ſe in ſuo ſpeculo circumſpectandi, comendi, poliendi, arridendi, indignandiqúe ſubinde dum non ſatis ſuccedit ex animo, atque omnia tandem & ſingula conſilio ac præſcripto ſpeculi digerendi; vt dum illis diſtinentur, annus ſit? Adeò vt ſi non fallat ſpeculum, ſeipſas fallant.

ANIMA.

Heu, quantum ab internæ formæ curâ ſemoti ſunt, qui ſe ita totos in exterioris ſpeciei contemplationem immergunt! Quàm deformes intus, quàm pulchri foris! quàm nigræ ſunt facies eorum, à fumo qui in domo hominis interioris ex tantâ vanitate aſcendit; dum exteriùs interim omnia nitent, ac pigmentis collucent! O cæcas hominum mentes, cæleſtium inanes! Quid etenim aliud agunt, tali tamqúe moleſto

ac ſeruili molimine ita ſemetipſos fallentes; quàm ſi parum cordatus pictor, angelum aliquem in ſuo prototypo, velut in ſpeculo relucentem, ſibi ſumens imitandum, diabolum interim teterrimum in tabula ſua depingat? Nónne ſic etiam ſpeculatores iſti ac ſpeculatrices, in ſpeculo vultum natiuitatis ſuæ, qualem Deus indiderit, intuentes, per ſtultam ac vanam in animo gloriam, vultum abominabilem coram Deo atque angelis eius, in ſuamet conſcientia ſibi conciliant? Nónne item fœdiſſimæ ſui turpiſque ſcrophæ talem comparat Sapiens, dum ita ait: Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua? Dignum profectò talis operæ pretium.

Pro. 11.

DESIDERIVS.

Procul idcircò ſit ab iſtarum tabernis ac tabernaculis, caſtum noſtrum, ô anima, contubernium. Ipſi potiùs, quem diligimus, cuius gratiam piâ ambitione venamur, atq; per eumdē Sapientiæ iugiter commoremur; cum ipſa ſors noſtra perſeueret: vt dicere æquè fideliter ac conſtanter poſſimus: Mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici. Dediſque cor meum, vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam. Et vidi, quòd tantum præcederet ſapientia ſtultitiam, quantum differt lux à tenebris. Da itaque nobis, ô Domine, quærentibus te, ac vultui tuo placere ſtudentibus, eumque aliquando in cælis videre ſicuti eſt, ac ſine vllo medio, contemplatione eius beatificâ frui deſiderantibus; ne terrenis iſtis illecebris, fallacibuſque ſpeculis eludamur: ſed

Eccls. 1

Item 2.

ſed tuæ pulchritudinis amore capti, atque inextricabili nexu irretiti, vana mundi oblectamenta, vt mera deliramenta, ſpernamus; atque inſtar ſpeculorum fallacium cauti deuitemus.

ANIMA.

Ita & ego tecum ſentio, optime ac fideliſſime conſodalis; atque in hoc propoſito nos inuicem ſine intermiſſione, dum hoc vitæ mortalis nexu copulamur, animemus. Sic namque & Apoſtolorum verticem locutum, nos meminiſſe ipſo facto teſtabimur. Non enim indoctas (inquit) fabulas ſecuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſcientiam: ſed SPECVLATORES facti illius magnitudinis. 2. Pet. 1

DESIDERIVS.

Conſultò, mi ſoror: ſic enim futurum eſt, vt fallacis mundi præſtigias, ipſimet, Deo iuuante eludamus; atque artem arte fallamus. Quid namque de vniuerſis huius mundi immundi blanditiis, adulationibus, promiſſis, deliciis, voluptatibus, honoribus, poteſtatibus, ſpecioſiſque nominis titulis ac beneficiis, cenſendum eſt aliud; quàm de fucis, laruis, & inanibus bullis, ne hili quidem vel flocci faciendis? De ipſo eapropter rectè dici poteſt illud Annæi Senecæ: Qui veri beneficij ſpecie fallit, tam ingratus eſt, quàm veneficus, qui ſaporem, cùm venenum credidit, miſcuit. Adeò vt mundus mendacium fallaciumque ſpeculorum ſit omnium fallaciſſimum. Nónne mundus verè dici poteſt Lib. 5. de Beneficiis cap. 13.

lunâ inconstantior, quæ suum momentis sin- E
gulis vel incremento vel decremento deludit spectatorem? Nam cùm in summâ esse videtur plenitudine; verissimo mundi typo, statim ad defectionem vergit. Neque vulpecula in arte F
fallendi mundo callidior; quæ tamen ab innatâ fallendi astutiâ præcipuum suum traxit encomium. Quid mirum igitur, si, qui in mundi nitore, instarque fragilis vitri resplendescentiâ, velut in speculo sese oblectant, mille modis eidem fiant ridiculi, cunctorumque ludibrium? Sic etenim orbis ille bullosus ex sapone & aquâ G
conflatus, dum ad summum, vel sui magnitudine, vel in altum adscensu, pertingit, elidi-tur; & in nihilum rediens, plus mœroris, mordicante in puerorum oculis stigmate, parit, quàm antè lætitiæ dederat, cùm in vigore suo splendesceret, quemdamque in conchâ microcosmum referret.

Et verò, quid in optimis speculis aliud iudicamus, quàm meram inesse fallaciam? Quid enim aliud, quàm alienum corpus ac figuram mentiuntur? Non est namque in speculo, quod ostenditur: nam si quod repręsentat, verè in speculo esset; non ita repentè euanesceret, nec aliâ protinus imagine superueniente obduceretur: neque ita innumerabiles modò interirent, modò exciperentur formæ. Quid ergo? Simulacra ista sunt tantùm; & inanis solummodò verorum corporum obiectorum imitatio: suntque ista à quibusdam altioris ingenij sic comparata, vt etiam in prauum possint detorquere quæ recta sunt. Nam sunt specula, quæ faciem prospicientium obliquent: sunt, quæ in infi-

nitum

nitum augeant, humanumque habitum excedant, modumque nostrorum corporum. Id efficit autem perspectiua, vt in vno eodemque speculo, aliquando vnius rei plures sese ostentent imagines. Si certo modo constituas, imaginet prorsus nihil: situ autem demutato, imaginosum reddatur. Id comminiscitur quoque ars ista, vt caput in imo compareat, pedes verò surrecti; teste Varrone. Excogitantur & monstrifica: vt in templo Smyrnæ dicata; vt auctor est Plinius. Vidi ego quoque, quæ os contemplantis (natura licet formatum quàm optimè) mirè in arctum adductum, horrendè verò in altum extenderent. Et viciſſim alia, quæ, labra compressa, sine modo vtrimque in latera diducerent. Alia, quæ nasum simum & strumosum referrent: alia verò, quæ præacutum & enormiter prominentem: atque ita de omnibus quæ obiiciebantur, in monstri deformitatem reddentia.

Sed, quid de fallacibus illis & artificialibus speculis dicemus, de quibus Pausanias libro octauo in Arcadicis? Ad dexteram (inquit, de Curetibus tractans) è delubro egredienti, SPECVLVM in tectorio parietis aptè incluſum est: in quo, qui inspexerit, suam ipsius imaginem, aut parum perspicuè, aut prorsus nihil cernet: deorum tamen signa, & solium ipsum dilucidè intuebitur. Quantum ego quidem coniicio, aut speculum illud ita dispositum erat, vt defectu debitæ reflexionis, inspicientium vultus ad ipsorum oculos non redirent: (tametsi enim omnes qui in cubiculo sunt in speculo oppoſito species suas imprimant; non omnes tamen sese

in eodem conſpiciunt, ſed illi tantùm, qui in rectâ reflexione oppoſiti ſtant) vel arte aliquâ latentiori, aut etiam illuſione diabolicâ, illud accidere potuit. At, at: quid dicam? Nónne cò impietatis deuentum eſt hodie, vt inſano cupidinis œſtro perciti, & quaſi philtro dementati homines; abiecto timore Domini, nullaque habitâ conſcientiæ (quam ita miſerè profligant) ratione; adminiſtro diabolo, proci ſui illa, iſte ſuæ amaſiæ, vel numquam viſam, vel viſam olim, ſed lõgo terrarum mariumque interuallo diſſitam effigiem in ſpeculo ſibi magicâ arte repræſentari permittat, imò & prece & pretio procuret? O protritæ verecundiæ, neglecti diuini iudicij, & proiectæ per omne flagitium animæ, deteſtanda ſed teſtatiſſima tamen argumenta! Horror quidem illis ex tali adſpectu pauidam intus conſcientiam ferit; ſudor præ rei nouitate erumpens, ſceleris arguit; ac præſens maligni ſpiritus opera, atque molitio, trementibus etiam ſenſibiliter artubus, pænè exanimat: & tamen, ſpretis his omnibus, & iucundum & gratum videtur inimici obſequium, in certam animi perniciem etiam ære coëmtum: placetque tantis impenſis æternum emere pœnitere. O inſaniam! ô mentis effaſcinatæ caliginem! quæ non videat in hoc SPECVLO, quantam ſponte admittat iacturam, dum in eodem intentis oculis veſana cum voluptate ſpeculatur phantaſma dæmonicum, eius nimirum adumbrato obtutu, cuius carnali amore,

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

De tigride non multùm abludentem huic fabulæ, H

bulæ, vel amētię potiùs, legimus illusionem. Tigris etenim, vt velocissimum est animal (nomē à Medis & Armenis habēs, qui sagittam tigrim appellant; atque rapacissimus quoque fluuius Tigris vocatur) viua adhuc atque adulta capi
I nequiuit: sed catulus, absente matre, ab equite velocissimo quandoque surripitur. Quod dum superueniens mater agnoscit, rapidissimo cursu raptorem insequitur. Ille verò, certò sciens se non cursu sed arte tantùm posse
K ferocis beluæ pernicitatem effugere, vitreum orbem in speculi morem confectum delabi sinit; in quem incidens tigris, seque in eo admirabunda contemplans, remoransque dum catulum suum se videre existimat, à fugiente interim raptore deluditur, ac omni spe sua frustratur. Ita quoque miserum mortalium genus, dum vano fallacique speculorum obtutu, falsisque vmbraticorum simulacrorum figuris, & oblectamentis inanibus stultè distinetur; & rem præsentem, & spem omnem futuræ posteritatis atque æternæ salutis auferri patitur: idque ab his nimirum, qui præcipuæ felicitati, supremæ gloriæ, ac bono ipsius summo, implacabili odio insidiantur. De quibus Propheta in persona Iudæorum sic lamentatur: Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis. *Thre. 4*

ANIMA.

Verè fallaciam tam miserandæ deceptionis præuidit præmonuitque Sapiens, quando mundi nequitiam atque astutiam, & diaboli la-

queos,in hiſce detexit , per quæ ferè ſpeculatorum ac ſpeculatricum procedit illuſio ; ſicque periculoſam ſubuertit viam,tutamque ſternit, hiſce verbis: Fallax gratia,& vana eſt pulchritudo:mulier timens Dominum , ipſa laudabitur. Dum ſiquidem præterit figura mundi huius; & omnis caro fœnum; cuius flos decidit , & areſcit,& grauiter olet: quid niſi fallaciæ plenum in formæ gratiâ ac pulchritudine ſpeculandum;quæ dum in rugas,& arentem marcidámque cutem degenerat , ſuum heredem , cum vniuerſis admiratoribus ſuis , caducâ ſui ſpecie decipit ac fruſtratur?

Pro.31.

O quàm dolendum , his momentaneis oblectamentis, ita cupere ſponte & gratanter falli mortales ! vt cum Pſalmiſtâ lubeat exclamare; Filij hominum,vſquequò graui corde ? vt quid diligitis vanitatem , & quæritis mendacium ? Quis vmquam pro vino, vel oleo, vel balſamo, vacuo ſe vaſe domum remitti deſideret ? quis argentum in vanum expendere laboret ? Quis vmquam prudens , falli , decipi , mendaciiſque ſibi imponi permittat? Hic tamen quotidianus eſt quæſtus , quem mundus callet & exercet: hæc impoſtura quotidiana, quâ neſcio vtri plus gaudeant,an decepti,an verò deceptores . adeò vt tritum ſit vulgò : Mundus vult falli . Quis tamen ignoret , quòd iuxta Chryſoſtomum, Seductio ſemper boni habuit colorem?Sic falſi à ſerpente protoplaſti parentes noſtri : ſic Iudas ille infamis proditor mitiſſimum agnum , Dominum noſtrum circumuenit : taliſque ſpecioſi fauoris prætextu ſeductum in agrum fratrem ſuum Cain occidit . Nónne ita chamæleon

Pſal.4.

L quo-

quoque & Polypus ſuas tutò ſtruunt inſidias, dum eius vel herbæ vel terræ colorem imitantur, cui ſe applicant; vt, dum animalia piſcéſve incautè nihilque tale ſuſpicantes accedunt, indubitata fiant præda? FALLACIS itaque mundani SPECVLI fugiamus illecebras; vt illime purumque ac ſincerum veritatis ſolidæque virtutis Speculum liberiùs vſurpemus. Si quis namque inſpecto fallaci ac magico ſpeculo in beſtiam ſtatim verteretur; quem non tam horribilis caſus ab eiuſdem ſpeculi contemplatione abſterreret?

Flamma volat, micat æthra, fugam cape, conflagrat orbis:
Plena adeò igniuomis omnia sunt SPECVLIS.

A. *Vrens Speculum concauum.*
B. *Archimedes Speculo naues hostiles incendit.*
C. *Transparens Speculum vstulans.*
D. *Puer ab vrticis ictus et vstulatus.*
E. *Basiliscus visu necans.*
F. *Impudicæ mulieris oculi nequissima vrentia specula.*
G.H. *Cor viri, impudicæ obtutu, et dæmonis halitu, concrematur.*

III. SPECVLVM VRENS.

DESIDERIVS.

RECORDARIS, ô anima mea, filia Sion, bonorum dilecti noſtri ſpeculatrix, quid dixerit olim Daniel de ſe ſociiſque ſuis, Eunucho, ſibi à rege Nabuchodonoſor præpoſito? Contemplare, *Dan.1.* inquit, vultus noſtros, & vultus puerorum, qui veſcuntur cibo regio: & ſicut videris, facies cum ſeruis tuis. Quid ſi iam nos quoque vultuum noſtrorum contemplatorem aliquem prouocemus; aut certè nobis mutuò hoc præſtemus officij? an non meliores gratioreſque vultus noſtros, præ mundialibus ſpeculatoribus, aparituros credas?

ANIMA.

Planè ita confidam: nam ſpeculi noſtri, quod mentis oculis potiori luſtramus indagine, & cuius intuitu ſpeculorũ quoq; ocularium vſum expẽdimus atque obſeruamus, tanta eſt efficacitas, vt non ſolùm inſtar iam dictorũ deformia quæque ac defectuoſa ſubindicet, verumetiam diuiniori quadam virtute maculas eluat, & conferat nitorem. Neque multo ſeciùs inter hæc accidit, quàm cùm luna ſolem adſpiciens, ab eodem illuminatur, & diſcuſſis nebuloſis pulchra eius adſpectu efficitur. Quocircà, pergamus, ſi placet, ſpeculorum varietatem exquirere, atque ex proximè ſequenti elicere, quod admiratione & obſeruatu dignum videbitur,

ad

ad concupitæ internæ pulchritudinis incrementum. Sed, quidnam ſibi hoc vult, quòd primo ipſius obtutu quamdam quaſi vſtulationem nidoremque perſentiſcere videor?

DESIDERIVS.

Deſine mirari, ô delicata ac tenella anima mea; neque tamen te illi fidentiùs applica, niſi aduri alio quàm amoris dilecti tui igne deſideres. Nam adurens ſiue vſtulans ſpeculum eſt iſtud, quod modò habemus præ manibus: atque eapropter prudenter circumſpecteque tractandum.

ANIMA.

Quodnam igitur, ô mi frater, hoc SPECVLI eſt genus? quæſo te, ne me celaueris. Deinde, an non niſi in malum illius ſit vſus, ſi noſti, fac ſciam & ego.

DESIDERIVS.

Concauum, vt ſcias, eſt iſtud, à quo radij ſolis A
in vnum aliquod punctum coëunt; in quod non lucem ſolummodò, ac radios, conuerſum ad ſolem, reflectit, verumetiam calorem emittit talem, vt faciliùs interdum obiectum fomitem, quàm ignis accendat. Vtque magis admirere, planum ſpeculum lucem tantùm reflectit, ſine calore; conuexum verò, nec calorem nec lucem; cuius idcircò liberior eſt in aliis, & quidem ſatis admirandis, vſus. Nam, cùm imbecilli ſint oculi noſtri, vt recto obtutu ſolem ſuſtinere non valeant, nec formam

eius,

eius, habitumque, & verum illum igneum calorem contemplari: inuentum est ope atque adiumento SPECVLI, vt non modò orientem occidentemque solem queamus conspicere; verùm etiam supra nos stantem, & nullo rubore perfusum, sed candida luce fulgentem, tranquillè & citra oculorum molestiam, contemplemur. Sic nimirum & solis eclipses per speculum commune ac planum, hoc est, solis lunæque imagines, inoffenso intuitu conspiciuntur. Sed econtrà, speculorum arte elaborata concauitas, collectos, vt dixi, in idem punctum solis radios, ita condensatos constrictosque in obiectam ex aduerso rem materiamque reflectit; vt & plumbum in tectis colliquescere faciat, & aptam combustioni materiam, quasi igni iniecto, comburat. Huic rei admirandæ, non minùs miranda fidem facit: quòd nempe Menestratum in templo Dianæ Hecaten tantâ marmoris radiatione feciſſe compertum est, vt in eius contemplatione æditui spectatores admonere solerent, parcerent oculis. Ne scilicet nimiâ radiorum perstrictione fulgor egrediens visus aciem non solùm hebetaret, verumetiam arefacto excoctoque interiùs neruo optico, vim visiuam depopularetur.

ANIMA.

Admiranda profectò & naturæ vis, & mirabilis ingenij humani industria, rerum naturalium latentem virtutem, causarumque efficaciam inuestigantis, & tam stupendos effectus, certâ arte, coniunctione, ac temperamento elicientis:

cientis: quod tamen totum, fonti omnium Deo acceptum fertur.

DESIDERIVS.

Longè præcipuum huiuſce vſtulationis deflagrationiſque teſtimonium, Archimedis nobis factum admirandum ſuppeditat, quod à Galeno proditum legimus. Ille enim Archimedes Syracuſanus, in omni quidem geometriâ multùm ante alios admirabili vir ſubtilitate, ſed in ſpeculorum ratione pertractandâ, vel maximè memorandus fuit. Non ſolùm enim ingenti volumine, acerrimè ſpeculorum naturam ac diuerſitatem rimatus eſt; verumetiam actu ipſo, concaui in vrendo ſpeculi efficaciam, certo experimento teſtatam fecit. Nam hoſtium naues, pice nullo negotio ignem concipiente, ſpeculi miniſterio concremauit. B

Sunt & tranſparentia quædam ſpecularia vitra, quæ ſi exaduerſum ſoli ponantur, appoſitum accendunt fomitem. Sic in quadam Aſiæ vrbe domum deflagraſſe contigit, feneſtræ cuidam vitreæ lignis pice litis adiacentibus, & in extimâ parte columbino retrimento ex putrefactione ampliùs arefacto. Nam eò validiùs ſolari radio vaporante (vt æſtate aſſolet mediâ) materia flammam concepit, moxque ad ſumma peruenit incendium. Sic & celebratum Medeæ pharmacum ignibus admotum inardeſcebat: conſtabat enim ſulphure & aſphalto humentiore. Hæc de ſpeculi vrentis portento, è naturâ & arte producto. C

CARBVNCVLI porrò vis atque ratio huic non eſt adeò abſimilis, ſiue pro lapide pretioſo acci-

accipias, siue pro morbo, aut etiam pro vitio, quod vitibus interdum accidit. Non enim aliam ob causam hoc nomine tria illa appellantur, quàm quòd vel in colore, vel in vstulatione cum candenti carbone conueniant. In primis namque quoad lapidem illum, quem carbunculum nuncupamus; de illo sic Plinius: Inter gemmas rubeo colore principatum habent carbunculi, à similitudine ignium appellati; cùm ipsi non sentiant ignes: vnde & à quibusdam apyrastæ seu apyroti vocantur. Cumque sit ignitus, vt carbo, carbunculus; fulgor ipsius nec nocte vincitur: adeò vt etiam flammas ad oculos spectantium vibret; & cum vrentibus speculis ex hac parte non malè cõueniat. Cùm verò carbunculus, humani corporis vitium appellatur; tuber, parui carbonis instar, intelligitur, ex inflammatione proueniens: quod ideò simili de causâ à candenti carbone vocabulum trahit. Et quia ex omnibus, quæ interiùs aliquâ corporum parte nascuntur, non aliud carbunculo peius est: hinc accidit, vt Constantinus Copronymus, insigniter in Deum Deique genitricem blasphemus, tam vehementem sit passus ex pedum carbunculis cruciatum: adeò, vt omni medicorum ope destitutus, atque in extremam animi desperationem deueniens, miserabiliter vociferaretur, se viuentem etiam, propter Mariam Deiparam, igni inextinguibili traditum. Et quid mirum? Naturalem siquidem vim suam, vt solet in aliis, carbunculus ille in ipsum exercebat: & insuper, ex diuinæ vltionis grauamine, malum ipsum infinitè augebatur. Ex eodem fonte prouenit,

uenit, vt morbus ille, seu vitium, quod in herbis, fruticibus, arboribusque nominamus vredinem, à pestilenti quadam vstulatione, quam in illa incendit; in vitibus hoc idem carbunculus vocitetur, ac in ceteris rubigo; quia instar rubiginis optimam substantiæ partem erodit & absumit. Hinc, carbunculatæ vuæ dicuntur. Neque est malum aliquod, teste Plinio, illi comparandum: non grandines, non procellæ, nec quæcumque vmquam annonæ intulêre caritatem, vel agros aut arua deuastarunt.

Hæc omnia, vt iam audiuimus, cum vrentibus speculis propter vrendi potentiam, comparantur; aut, si mauis, illis ipsis eiusmodi specula. Vnde & vredo, & vrtica (herba æquè ac D piscis) in etymologiâ propter vstionem concordant. Quin & pruritus ita Aristoteli dicitur, excursus ille humoris spirabilis, inclusi contra naturam; qui ardorem scalpendi incendit: vnde & voluptas carnalis libidinem prouocans etiam pruritus seu prurigo quibusdam nuncupatur. Genus quoque picturæ, quod encaustice dicitur; & talis pictor, encaustes; opus verò, encaustum; ab inurendo sic appellantur: quòd artifex adhibito igni figuras suas effingebat. Sic & notæ infames inurebantur; vt & alio inscriptionis modo etiam Christiani olim in frontibus notabantur: quod seruorum proprium esse solet. Christiani verò supplicij specie, tali cauterio & stigmatum notis deformati, ad metalla, munitiones viarum, aut ad bestias quoque damnabantur.

Ad alteram verò petitionis tuæ partem; An non nisi in malum sit speculi vrentis vsus: respondeo;

ſpondeo; Etiam ad bonum. Nam ſicuti ignis, & gladius, ac ſimilia, rectum iuſtumque vſum habent, tametſi malitioſi illis abutantur: ita & huiuſmodi ſpecula, per quæ ignis in ſubiecto fomento ſuſcitatur. Vſqueadcò, vt & in Eccleſiæ cærimoniis, quando iuxta ritum Romanum, in cerei benedictione, quæ fit Sabbato ſancto, extinctis vbique luminaribus, nouus ignis benedicendus eſt, is vel ex ſilice priùs excutiatur, vel cryſtallino ſpeculo, aut alio quouis incendendi vim habente, procuretur. In typum, quòd nobis in tenebris & vmbrâ mortis ſedentibus, Chriſtus ceu lux noua apparuit; qui veniebat ignem mittere in terram. Ita & Machabæi, de ignitis lapidibus igne concepto, ſacrificia obtulerunt. 2. Machab. 10.

ANIMA.

Non oberit, ſpero: hæc vniuerſa audiuiſſe ac nouiſſe de ſpeculorum vrentium naturâ rebuſque eius naturæ in vſtione affinibus. Et fortaſſe non foret difficile, ad alia adhuc documenta moralia, atque propoſito noſtro principalia, applicare, & ex luto gemmas colligere.

DESIDERIVS.

Quin & factu facillimum eſt futurum, ac prorſus obuium; ſi animum tantummodò adEuerterimus. Nam in primis baſiliſci conditio, atque admiranda oculorum ipſius cum vrentibus ſpeculis ſimilitudo, planam nobis ad morum ſpeculationem ſternet viam. Baſiliſcus etenim, ſeu regulus (ſic dictus, vel quòd iuxta Plinium, albâ in capite maculâ, velut quodam

diademate adornetur ; vel quòd, secundùm alios, reliqua serpentium genera, eius virus exhorrescant ac fugiant) rubeos ignitosque instar carbonis habet oculos . vtque D. Bernardus ait; Venenum in oculis gerit, pessimum animal, & præ omnibus execrabile. Nosse cupis, inquit, oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? Inuidiam cogitato . Si
Sap. 2. non fuisset ille basiliscus; numquam per eius inuidiam mors intrasset in orbem terrarum. Optimè itaque Sanctus ille, liuentes inuidiâ oculos in oculis basiliscì depingit, ac perstringit vt merentur. Sed & iracundiæ faces, ex incenso interiùs animo promicantes, rectè hisce basiliscì oculis comparentur: quo sensu Poëta quoque sic ad irati hominis excandescentiam alludebat, cùm diceret:

Horat. *Ira furor breuis est:* ——-

quam alij, efferuescentiam bullientis sanguinis circa cor, interpretantur . Atque alius Poëta hunc in modum:

Ouid. *Pertinet ad faciem rabidos compescere mores:*
Candida pax homines, trux decet ira feras.

At proposito nostro viciniùs, de vultus irati cum eiusmodi speculis vrentibus comparatione, accedit, quod idem sic habet:

I procul hinc, dixit; non est mihi tibia tanti;
Vt vidit vultus Pallas in amne suos.
Vos quoque, si mediâ SPECVLVM *spectetis in irâ;*
Cognoscet faciem vix satis vlla suam.

adeò namque, & nares, & oculi, ac tota denique facies, iracundiam spirant.

Verùm enimuerò, tum SPECVLI aduren- F
tis conditio, tum oculorum basiliscì solo visu

necan-

necantis virulentia nocendiq́ue malignitas, in impudicæ mulieris adspectu tenent principatum. Vnde quicumque versiculi illius leonini est auctor, à scopo mihi non est visus aberrasse; quem, dum sic lusit, verissimè attigit:

Est mulier tactu viscus, visu Basiliscus.

Quapropter venerabilis ac sancta illa matrona, Diana vidua, sancti Bernardini Senensis materter a, non immeritò, tametsi citra eius culpam, illum efficaciter ab hac peste deterruit. Dicente namque identidem eodem adhuc puero, sibi à defunctis iam parentibus commisso, se in vrbe Senensi iuuenculam quamdam amare, ineffabili speciositate fulgentem; cuius gratiosum adspectum nisi quotidie videret, sibi crederet præ mœrore moriendum; mentem suam referens ad eam, quam totam pulchram canit Ecclesia. Nutrix directrixq́ue ipsius Diana, mulier spiritualis, suspicata ne fortè alicuius puellæ carnali amore foret vulneratus, eum increpans, sic inquit: Quid est, fili mi, quòd te impudicè loquentem audio? An ignoras, quòd mulier formosa decliuem animum facit ad vitia? ADSPECTVS EIVS IGNIS EST EXARDESCENS: affectus, robur ingenij prosternit, intellectum elidit. Defere, fili, hanc vanitatem, & de corde tuo omnem cogitatum illius propulsa. Sic illa: atque attentiùs obseruatum, die quodam deprehendit, aperto capite, nudis nixum genibus, dilectam suam (beatam inquam MARIAM virginem, quæ supra portam in effigie stabat) deuotissimè salutantem. Sicq́ue salua res fuit: non importuna tamen illi ætati, illiq́ue modo loquendi pueri, nostróve

D. Antoninus

huic propoſito, ſanctæ illius matronæ monitio, de INCENDIARIO mulierum ADSPECTV, diligenti ſalutem, diligenter cauendo. Iuxta illud Poëtæ:

Geor. 3 *Carpit enim vires paulatim : vritq; videndo Femina.*

Poſsítne efficacius oculatiuſque argumentum ac typicum ſpecimen peſtilentis huiuſce muliebris adſpectus proferri in medium, quàm quod de peſtiferis oculis & obtutu venenato virgunculæ illius legimus, quam Regina Indorum aliquando Alexandro Magno, vt venuſtiſſimam donoque regali digniſſimam, miſit? Illa ſiquidem ab infantiâ nutrita atque imbuta fuerat veneno ſerpentino; ita vt natura ipſius verſa eſſet in ſerpentis naturam; cuius congreſſu extinctus fuiſſet Alexander, niſi Ariſtoteles eum latentis periculi (quod ex admiratione inſoliti victus percepit) præmonuiſſet. Notabat ille prætereà, quòd ipſa fidenter, horribiliter, & conſtanter viſum figebat in facies virorum, quaſi (baſiliſci in modum) ſolo viſu necatura.

Sed, eheu! quàm longè deteſtabilius eſt (vt cœpimus dicere) SPECVLVM VSTVLANS impudici adſpectus feminei, animas perimentis, quàm baſiliſci taliſve puellæ necantis corpora! Quamobrem, non ſine cauſâ, præſentis periculi præmonuit Sapiens: Auerte faciem tuam à muliere comtâ; & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris, multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi IGNIS exardeſcit. Cui quadrat & illud eiuſdem: Noui generis beſtiæ, vapo-

Eccli. 9

Sap. 11

vaporem IGNIVM spirantes: aut fumi odorem proferentes: aut horrendas AB OCVLIS SCINTILLAS emittentes; quarum non solùm læsura poterat exterminare, sed & ADSPECTVS per timorem occidere. Videsne fulgurantem flammam ex hoc SPECVLO impudicæ frontis muliebris? Et quid mirum,
G si multi per talem Ætnam consumti sunt, & in fauillam redacti: cùm & illæ ex vnâ parte virulento conspectu in corda intuentium scintillas impudici caloris vibrent; & ex alterâ, gehen-
H nalis vstrinæ incentor diabolus, halitu suæ suggestionis, prunas phantasiarum ardere faciat: quodque est caput, ipsimet insensati vecordésque iuuenes, oleum camino addétes, frequenti adspectu, conniuentibus annuentibusque oculis, totaque sensuum omnium capedine, virus ac flammam hauriant?

Quis etenim tali tot facularum concursu miretur incendium; cùm & senes illi duo in Babylone (quibus Susanina castissima cùm nul- Dan.
lum ex se incentiuum daret) in oculis nihilominùs propriis atque animis fomitem secum libidinis adferentes, exarserint in concupiscentiâ eius: & euerterint sensum suum: & declinauerint oculos suos, ne viderent cælum: neque recordarentur iudiciorum iustorum: tam quæ ab ipsis, vt iudicibus populi, debebant procedere; quàm quæ à iusto summoque Iudice Deo, meritò debebant metuere. Erant (inquit historia) ambo vulnerati amore ipsius.

Si à castâ pudicaque castissimæ feminæ fronte, tam fæculentæ obortæ sunt faces & flammæ, optima quæque in sensibus, solo ipsorum

rum vitio, deuastantes; quid non metuendum iuuenibus ex impudicarum & lasciuarum puellarum adspectu & consortio, diabolo præsertim adhibente flabellum, qui viride quoque lignum incendere præualet?

ANIMA.

O quàm felices, qui custodiunt auertuntque oculos suos, ne videant vanitates, neque capiuntur, vt Holofernes, laqueo oculorum suorum! Auertat Deus à nobis, ne in huiusmodi vrentia specula incurramus, quæ pestifera vredine, tabidoque carbunculo virentia mentis nostræ fruteta, sata ac vineta consumant. Sed potiùs in ardentia atque flagrantia virtutum specula, oculos irrepercussi conuertamus: nam & talia reperiri confido.

DESIDERIVS.

Reperiuntur, & quidem plura ac præstantiora, quàm illa illecebrosa vitiorum. Nónne vultus Oniæ Pontificis recordaris, ex quó, quasi speculo vrenti, & pietas, & zelus honoris diuini, micantibus radiis effulgebant? Sic enim de eo legimus, cùm Heliodori temerario ausu, ærarium spoliandum templumque violandum conspiceret: Iam verò qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur. Facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem. 2. Machab. 3.

Sed, quale speculum adurens fuisse dicemus Magdalenam? quale Iosephum patriarcham? qui admirandum vtrique sexui suis exemplis in cor & medullas iniecerunt incendium

dium castitatis: illa quidem pœnitentiæ flammis, calidisque lacrymis, priorem rubiginem excoquens; iste verò primæuæ castitatis præferens facem?

ANIMA.

At pretiosissimum (mihi persuadeo) præstantissimumque omnium SPECVLVM ad virtutem incendens fuit immaculata Dei genitrix, virgo MARIA: quæ cùm omnium mundi tòtius pulcherrima fuerit, nemo tamen vmquam mortalium eius adspectu, mali cuiuspiam motus sensit illecebram: quin potiùs & oculos & corda adspicientium, tamquam viuax animatum & immaculatum SPECVLVM castiora reddebat: imò velut myrrha, venenum impuritatis turpisque amoris rubiginem elidebat. Nam quemadmodum (teste Hieronymo) ex oculis CHRISTI, velut principis SPECVLI VSTVLANTIS, radij aliquando elucebant; ita ex beatæ VIRGINIS oculis & facie, ceu limpidissimi speculi, scintillæ emicasse traduntur.

Istiusmodi itaque SPECVLIS in bonum VRENTIBVS vtamur assiduè: dicamusque in eorum adspectu: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis: vt per illa, & quod vitiosum est exuratur; & quod bonum, magis accendatur. *Psalm.* 38.

Quisquis es ipse tui procus et riualis amoris:
Siqua tibi fuerat gratia, tota perit.

A. *Otho Imp. armatus se in speculo ante conflictum contemplans.*
B. *Lucifer ex vana sui contemplatione prolapsus.*
C. *Angeli quoque, eius assecla.*
D. *Primi parentes, per complacentiam paradiso extorres facti.*
E. *Simia præ nimio amore foetum suffocat.*
F. *Aman superbè sibi complacens.*
G. *Antiochus fastuosus similiter.*
H. *Corydon se in littore speculans.*
I. *Saul in oculis suis paruus, coram Deo magnus fuit; et contra.*

IV. SPECVLVM COMPLACENTIÆ.

DESIDERIVS.

TINAM COMPLACEANT *tibi eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*; Domine adiutor meus, & redemtor meus! Quod, ſi non denegaueris mihi; ſpes animo meo magna conſurget, fore vt audiam aliquando, quod auditui meo dabit gaudium: Tu es filius meus dilectus, in te COMPLACVIT mihi. Et meritò Domine, neque aliter vmquam mihi tutò conſultum erit. Quia, quid proderit mihi, quíd-ve eſſe poterit illud, ſi mihi complacuero, imò ſi toti mundo futurus ſim acceptus & gratus, & tibi ſoli non fuero comprobatus? Non enim qui ſeipſum commendat, vel à mundo commendatur; ille probatus eſt: ſed, quem tu ſolus commendas & probas. Alioquin, inter ſpem & metum hęreſcens, in patientiâ & expectatione, cum exulante Dauide dicere poterit: Si inuenero gratiam in oculis Domini; reducet me, & oſtendet mihi Arcam & tabernaculum ſuum. Sin autem dixerit mihi; Non places: præſtò ſum: faciat mihi quod bonum eſt coram ſe. Quapropter inanem iactantiam, & vanam COMPLACENTIAM longè facà me, Domine: & COMPLACEAT tibi, vt ab eius illecebris eruas me.

Pſal. 18. *Luc.* 3. 2. *Reg.* 15.

ANIMA.

An huius igitur inſolentiæ fautrix ſpeculatio aliqua reperitur in SPECVLIS?

DESIDERIVS.

Planè, & quidem cuius in materiali ſpeculo communi typus exprimitur. Nam, ſicut qui vanę gloriæ formæque concinnandæ dant operam; ſpeculi adminiculo pruriginem illam animi magis accendunt: ita, qui ſeipſos, dotes corporis aut animi, dicta factaque propria, cum admiratione ſuſpiciunt; titillationem inanis COMPLACENTIÆ ſibi ipſi conciliant. Verùm, vtriuſque huius fatuitatis exempla producantur; quò viſa auditaque, magis ſua deformitate ab imitatione deterreant.

Otho, cùm Romanis omnium gentium A fortiſſimis imperaret, SPECVLVM in bello ciuili contra Vitellium deferebat; vt ſe, dum tolli ſigna iuberet, armatum comtumque intueretur. Hóccine momentum vllum eam in rem conferebat; vt eò maiori ſuis terrori futurus eſſet hoſtibus, quò ſibi ipſe in armis & corporis cultu videretur ornatior? Forma virum neglecta decet, vt inquit Poëta, & bellicoſo duci ac militi, terror in hoſtium oculis potiùs eſt quærendus, quàm muliebris illa in cultu mollities.

Econtrà Semiramis: quæ, cùm aliquando circa corporis cultum occupata, defeciſſe Babylonem intellexiſſet; ſolutâ adhuc alterâ crinium parte, ad eam recuperandam cucurrit: nec priùs decorem capillorum redegit in ordinem, quàm vrbem in ſuam iterùm poteſtatem vidiſſet redactam. Et verè, quid refert, qualiter nobis ipſi, ſiue in ſpeculo, ſiue in oculis propriis videamur, cùm nihil eapropter mutetur in re? Sicuti enim

enim ad ſtaturam noſtram nec cubitum nec palmum adiicere poſſumus; ita neque formam mutare valemus. Quidquid enim ad naturalem addideris ſpeciem, fucus eſt.

Idcircò rectè, & ad rem noſtram, eloquentiæ princeps, Cicero: Principio corporis noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem, quæ formam noſtram reliquamque figuram, in quâ eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promtu. Sed audi, quomodo non ad inanem complacentiam, ſed ad morum grauitatem: ſic enim inquit idem ipſe: Venuſtatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem. 1. Offic.

B Vanæ pernicioſæque huiuſce COMPLACENTIÆ prima nobis ſemina iniecit, & ad illam tam cupidè ambabus, vt dicitur, vlnis amplectendam, latiſſimum oſtium patefecit, primus omnium Lucifer: qui ex ingenitâ ſuæ nobilitatis excellentiâ naturalique conditionis ſuæ pulchritudine, quâ Deus eum præ ceteris creaturis ornarat, in ſemetipſo gloriam captâs, ſibique in gratuitò datis, tamquam in propriis; nec debitam conditori ac largitori habens aut referens gratiam; ex præcellenti Archangelo, malignorum ſpirituum à ſe peruerſorum princeps eſt effectus in inferno, quibus ad eamdem ruinam incentor & dux fuerat in cælo.

Quia verò COMPLACENTIAM tam præſens & efficax eſſe experientiâ didicit ad præcipitium inſtrumentum, hinc nullum ferè ex toto mortalium genere ſinit ab hac infeſta-
C tione immunem: præſertim, cùm ipſe non tan-
D tùm in angelis, ſed & in primis parentibus, tam ſecundum pronumque ſuis conatibus ſucceſ-

ſum

sum expertus sit. Quâ siquidem aliâ parte versipellis suæ nequitiæ, atque in generis nostri ruinam inuidiæ & insidiis viam inuestigauit inuenitque percommodam; quàm per inanis istius gloriæ ac propriæ COMPLACENTIÆ titillationem; quam videbat, vel saltem suspicabatur, naturæ humanæ non vsqueadeò fore peregrinam, neque adeò à terrestri nostrâ origine remotam? Tentauit, successum sensit, diuinitatis consortium ob oculos statuit, addixit, & ambitionis scintillas in præparatum iam fomitem cautus iniecit. Incendit eâ primùm ex parte, quam præ sexus imbecillioris naturâ, ad ignem concipiendum magis sciebat idoneam. Dumque flamma illa amoris propriæ excellentiæ atque inanis gloriæ, speciosa deserti paradisi depopulata est, scintillæ atque fauillæ tam voracis incendij in omnem humanæ stirpis propaginem adeò latè perlatæ ac peruagatæ sunt: vt qui se ab illâ existimat liberum, videat quæso diligenter, an seipsum non fallat.

ANIMA.

O miseriam! ô mentis nostræ caliginem! ô cordis insensati dementiam! Quid agimus? quid volumus? quò euadere tandem præsumimus? quidnam tandem tam vanè speramus? Pessimo laboramus vitio, sed tamen adblandienti nobis suauiter: atque eapropter, neque sponte agnoscimus, neque fidem habemus admonenti: quasi non satis sit pestilens, quòd intima pectoris nostri possideat, nisi hoc etiam mali accedat, vt, quò magis in nobis grassatur, hoc minùs agnoscatur.

DE-

DESIDERIVS.

Domine Deus, quàm cæcutimus & neſcimus! Imò, cum Phariſæis cæcis ducibuſque cæcorum, admoniti, non ſine indignatione reſpondemus: Numquid & nos cæci ſumus? Et quid eſt, obſecro, quòd ita grandeſcimus, intumeſcimus, & nobis ipſi tam inaniter complacemus? Dicas, licet: Sum doctus, multarum rerum peritus, facundus, eccleſiaſtes egregius, diſertus poëta, magnus orator, bonus muſicus, inſignis ſcriptor, pictor, fictor, & mille ſimilia: omitto quòd nobilis, diues opum, honoratus à populo, raræ auctoritatis, totique mundo ſpectabilis; addo ego tibi, quidquid ex pleno copiæcornu ſpongioſum tuum pectus valet imbibere: quid obſecro eſt hoc totum? Nónne fumus, bulla, ſtipula, & ſi quid his eſt vilius? Dúmque in hiſce, ne dicam omnibus, ſed in illorum aliquibus, quæ te nactum exiſtimas, gloriaris, tibique complaces ad ſtuporem; fortaſſe, ſi benè attenderis, nec illa habes, aut ſaltem non eo gradu, vt vel hilum gloriæ mereantur. Et quid eſt quæſo totum, quod es, habes, aut noſti, præ omnibus infinito modo pluribus, quæ neque es, neque habes, neque noſti? Quare igitur non potiùs erubeſcis de tot quæ deſunt, quàm gloriaris de paucis quæ adſunt?

ANIMA.

An verò manifeſtiùs hanc noſtram inanitatem in propriâ complacentiâ queamus deprehendere, & ſi oculos aperiamus videre & palpare; quàm ſi in puerorum ludétium grege, vni videa-

videamus coronam ostendi, tamquam capiti ipsius imponendam; dumque illam sibi imponi existimat, clàm à tergo ridiculus ei galerus aut cucullus imponatur; isque iam fastuosus incedat, se regem putans, cùm interim ludibrio sit omnibus? Nónne ita quotidie nobis illudit mundus cum suis cultoribus; imò nos ipsi nobis? Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit; nónne, teste Apostolo, ipse se seducit? *Gal. 6.*

Interim, nec omnia argumenta mundi, neque vniuersæ correptiones, neque librorum momenta, neque aduersi casus, malumque certum inuisæ huic COMPLACENTIÆ debitum, & propemodum semper illatum, nos ab eâ vel tantillum valeant deterrere, vt saltem sériò recogitemus in nobis, an non verè hoc vitio laboremus. Tam radicata est in visceribus hominum damnabilis ista philautia, & quædam philarchia, siue multum subsit gloriandi complacendique materiæ, siue parum, imò potiùs nihil; vt, instar simiarum, bonorum nostrorum operum fœtum, imò animam propriam, potiùs præ hac insaniâ suffocemus ac disperdamus; quàm vt vel moniti, ictique intus aut foris, vitium hoc agnoscamus, atque à nobis vt detestabile amoliamur: cùm nec tineas, nec blattas, in libris aut vestibus toleremus. E

DESIDERIVS.

Vtinam tandem aliquando Domine illumines vultum tuum super nos, & miserearis nostri; vt SPECVLVM hoc COMPLACENTIÆ procul amoueas ab oculis mentis nostræ!

Quem

Quem enim non moueat percellatque, tam certum quàm miserandum exitium omnium eorum, qui hactenus ob istam dementiam fastumque intolerandum, te vindice, post horribilem pœnam & luctum, miseris modis perierunt? Infernalem Luciferi metamorphosin, primorum parentum apostaticum lapsum, atque inflictam toti posteritati labem & cladem,
F omitto: sed, cui non incurrit in oculos protrita & summo dedecore affecta Amanni superbia; qui cùm se in altissimo dignitatis & gloriæ gradu, stabili pace ac securitate collocatum putaret; ad ima repentè, verso rerum statu, deiectus est? Cùm enim se Regi ac Reginæ charissimum crederet, eaque de re coram vxore & amicis iactabundus gloriaretur; à Reginâ Hester apud Regem eidem promeritum parabatur exitium. Cumque tamquam vnicum toto orbe infensum sibi hostem Mardochæum, extructâ ipsi excelsâ cruce, triumphare se iam arbitraretur; in eamdem mortalium fastuosissimus est sublatus.

G Quid de noto superbi nomine Rege Antiocho sumus dicturi? quem non miserabilis eius casus & clades horrenda commoueat, vt ab arce placentiæ vel sensim descendat, vel elationis cristas paulatim demittat? De quo præstat audire, quid sacra Scriptura commemoret, quàm nostris hîc verbis explicare. Sic narrat Machabæorum historia: Existimabat, se præ superbiâ terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum, deducturum; propter mentis elationem. *2. Machab. 5.*

Sed, audiamus humiliatum superbum, ac

COM-

COMPLACENTIAM in atrio proprio profligatam. Is, qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbiâ repletus, & montium altitudines in
2 Ma. chab. 9. statera appendere; nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in se contestans: ita vt de corpore impij, vermes scaturirent; ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent; odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur. Et, qui paulò antè sidera cæli contingere se arbitrabatur; eum nemo poterat, propter intolerantiam fœtoris, portare. Hinc igitur cœpit, ex graui superbiâ deductus, ad agnitionem sui venire, diuinâ admonitus plagâ, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et, cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre posset; ita ait: *Iustum est, hominem subditum esse Deo; & mortalem non paria Deo sentire.* Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Ratio est: quia per plagam humiliatus, non factus est humilis.

ANIMA.

Eheu! dolendum læti momenti exitum! Et quare, quæso, miseri non humiliter sentimus de nobis; cùm nihil in nobis reperiatur, exceptâ Dei bonitate & gratiâ, quod non ad maximam animi demissionem impellat? Sed verè, nescio quo malo genio, ad eiusmodi, quæ ad humilitatem inuitant, nõ aduertimus animum graueque eorum vel præsentiam vel alloquium ferimus, qui nobis vel modestiam, vel humilitatem,

tem, vel sobriam moderatamque de nobis ipsis opinionem ob oculos ponunt. Hinc fit (quod etiam quotidianus vsus docet) vt non solùm hoc in negotio veritas odium pariat; verumetiam, vt, non obstantibus tot tantisque remediis, semper ille inexterminabilis COMPLACENTIÆ surculus, vel millies recisus, aut etiam euulsus, repullulet. Euadunt hoc infelicitatis (credo) rarissimi: & quoad istam immunitatem, non tam ipsosmet de se, quàm alios de ipsis, conuenit iudicare. Nam communis ferè habet vsus, abusus inquam; vt, si scribimus, si legimus, concionamur, docemus, loquimur, canimus, manum vel pedem mouemus; aut aliquid demum, paruum aut magnum, facimus (nisi fortè desit inspector) quasi ex insidiis illicò assurgat & adrepat infestum hoc tineæ genus, gloriola, nobisque in facto complaceamus.

DESIDERIVS.

Amplius dicam: cùm manifesta illa gloriæ animalia Philosophi, ferè non nisi ad oculum sua admiranda patrarent; sique deesset admirator, cessarent: nos interdum etiam dum soli sumus, atque aliquid agimus; ecce non deest superbia, & existimatio facti laudabilis sese ingerit. Quin & fortasse, dum ista solus, ac sine arbitro scribo, serpentisq; illius nequitiam detego, & vires eius ac virus elidere molior; caput suum veternosum latenter attollit, vt referiat ferientem; ac saltem ab illâ me parte titillet, quâ illum mihi videor egregiè tutudisse.

O nequissimum colubri caput! quis tuam eua-

det vafriciem, dum optimis quibusque conatibus & cœptis, vt inuides, ita & insidiaris? Imò, tum quoque victoriæ palmam tibi præsumis, cùm victori tuo victus herbam vidêris porrigere? Nónne ita te sanctam illam virginem Saram circumuenturum speraſti; cùm in carnalis lasciuiæ bello, per annos tredecim, victrix semper abscederet: acriusque tandem à te impugnata, quàm vt videretur posse sustinere; inuocato sponsi sui Christi auxilio, tum quoque te triumpharet? An non eidem cedendo victoriam, victoriæ palmam subtili stratagemate tentabas eripere; dum ei apparens, latenterque inanis gloriæ stimulo petens, dicebas: *Vicisti me, Sara, vicisti?* Sed illa, quâ oportebat arte, proditoriam tuam ſicam eludens, ac prudenter (vt Dauid Saülis hastam) declinans, tibi quod oportebat respondit: *Non ego te vici, sed Dominus meus* IESVS. Ita ego hîc quoque si mihi molestus sis, tuum in caput retundam spiculum, obiiciamque ei cælestem peltam, quam in simili vanæ gloriæ concionandique COMPLACENTIÆ suggestione, tibi sanctus Bernardus obiecit, dicens: *Neque propter te incepi, neque propter te desinam.*

ANIMA.

Quàm dolendum, ô dilecte frater! adeò nobis inhærere instar nepæ hoc vitij, actibusque nostris vniuersis, ac omni proprio de nobis rebusque nostris iudicio; vt ad cumulum eius, & nequid ad plenum numerum deforet, etiam in defectibus ac penuriâ gloriemur: quasi nobis præ tædio foret contabescendum, si non sem-

ſemper, & vbique, & in omnibus, COMPLACENTIA iſta ac vana gloria, aliquo ſaltem vel emendicato titulo ſeſe ingereret! Adeò vt in omnibus, etiam quæ verè alij improbarent, nobis ipſi complaceamus.

DESIDERIVS.

Nec illepidum, nec alienum à noſtro propoſito eſt; quòd Agariſtam, Cliſthenis filiam, adeò formoſam extitiſſe narrat Herodotus, vt ad obtinendas eius nuptias, celebrata ſint procorum ſpectacula & certamina: quò ſpecioſiſſimi quique Græciæ adoleſcentes confluxerunt. At, cuidam illic nimiùm laſciuienti dixit filiæ pater: Tiſandri fili, deſaltaſti matrimonium. & tamen ſe rem præclarè geſſiſſe planè exiſtimabat miſer; ſibique adeò COMPLACEBAT, vt ſibi præ omnibus ſponſam deberi arbitraretur. Aliis autem, rem vt verè habebat contemplantibus, vehementer diſplicebat.

Sed quid? illud nobis ferè per fallacem ac fatuam hanc complacentiam accidit, vt nos ipſi nos potiſſimùm decipiamus, propriam opinionem conſulentes. Sic Dæmonax olim Philoſophus Cyprius, infeliciter declamantem admonuit, vt ſeſe diligentiùs exerceret. Cumque is reſpondiſſet. Numquam non ad memetipſum declamo: Nihil igitur mirum, inquit Dæmonax, ſi dicis ineptè, qui hactenus ſemper teipſo vt ſtulto auditore & magiſtro vti ſis ſolitus. Hic autem magiſter, eſt omnium errorum auctor.

Denique, ne vel in aliquo complacentia deſideretur; ſemper adhuc maioris alieni defe-

ctus prætextu, noſtram inopiam facimus minùs vituperabilem; atque illo nos ſaltem ſolatio ſuffulcimus, quo deformis ille Corydon ſeipſum vtcumque ſolabatur, dum diceret ſpeculi huius conſilio: H

Virgil. Eclo. 2. *Non ſum adeò informis: nuper me in littore vidi,*
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

Sic & Phariſæus ille, vt putabat, maiorum peccatorum comparatione ſibi placebat. Ita nos: Ille me magis claudicat, balbutit, delirat, cæcutit, atrior eſt. In placendi ratione, Tertullianus ſic inquit: Et viris propter feminas, & feminis propter viros, vitio naturæ, ingenita eſt placendi voluntas. Addo ego; & complacendi ſibimet: cùm nemo alteri placere contendat, niſi primùm ſtuduerit placere ſibi: ſiſque fine illo fruſtretur, ſaltem medium hoc non abfuerit. Pergit auctor, & ad ſpeculi vſum, ſeu potiùs in viris abuſum, ſe conuertens, inquit: Propriaſque præſtigias formæ & hic ſexus (virilis nimirum) ſibi agnoſcit, barbam acriùs cædere, interuellere, &c. tum ſpeculum omni occaſione conſulere, anxiè inſpicere: cùm tamen cognito Deo ademtâ placendi voluntate, per luxuriæ vacationem, omnia illa, vt otioſa, vt hoſtilia pudicitiæ, recuſantur.

Tertul lib. de cultu fem.

ANIMA.

Verè ſe res habet, vt dicit. Nam quemadmodum, quotquot Deo placere conati ſunt, viles in oculis ſuis fuerunt; ita qui complacentię ſtuduerunt, Deo placere non curarunt. Inſtar bilancis I ſe res iſta habet: quantò plus vni impoſueris, tantò plus ademeris alteri. In Saul rege, velut in

COM-

COMPLACENTIÆ SPECVLO, liceat id contemplari. sic ait Samuel eidem: Nónne, cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? vnxitque te Dominus in Regem super Israël? Pro eo ergo, quòd abiecisti sermonem Domini (magnus scilicet in oculis tuis effectus) abiecit te Dominus, ne sis Rex. 1. Reg. 15.

Apage ergo domesticum hoc animi semper intumescentis virus, ac modestiam vsque retinere satagamus: ne vlla vmquam nos nostri inflet opinio, pestis verè vniuersi profectus: quæ & optima quæque in nobis elidit, nihilque præter inanem producit auram, quâ & pascitur. Nónne sic & in Iberiâ quidam equas à Fauonio vento putant concipere, sed euanido fœtu? Ita prorsus hîc accidit: vt qui ab opinione blandiente, suauiterque adspirante COMPLACENTIA grauidantur, nihil serium pariant: sed vt tumidi solummodò vtres, quò maiori amplitudine distenduntur, eò sunt diruptioni viciniores.

Deus itaque nos ab hoc spiritu liberet; & humilitatis spiritum (qui solius ipsius est) largiatur.

In basiliſci oculis vis bellus ſtulte videri?
Maius adulantûm lumina virus habent.

A. *Oculi alieni, ſpecula vanæ laudis.*
B. *Rex Achab in oculis vxoris magnus.*
C. *Crocodili oculi, nocentia ſpecula.*
D. *Talis quoque parasitorum nequitia.*
E. *Adulatorum blanda pernicies.*
F. *Herodes, aliena laude elatior, à Deo percuſſus.*
G. *Vana in oculis hominum complacentia.*
H.I.K.L. *Iunonis et Iſidis pompa, non ſine* SPECVLIS.

V. SPECVLVM OCVLORVM ALIENORVM.

DESIDERIVS.

CVLI *tui, Domine, contemplantur vniuersam terram: & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in te.* 2. Par. 16. Sed, dum ita se res habet, Domine Deus, vt oculi tui vniuersam terram contemplentur: nónne vicissim vniuersa in oculis tuis, tamquam in lucidissimo speculo, resplendescunt? Ex hoc enim fonte promanat, quod de Sanctis tuis in cælo dici solet: Quid nesciant, qui scientem omnia sciunt: & quid non videant, qui cuncta videntem contemplantur? Verùm, vtinam non tantùm velut in speculo sim in oculis tuis; sed in iisdem quoque inueniam gratiam: quia fallax alioqui gratia, quæ in hominum oculis quæritur, & rarò benè inuenitur, rariusque benè conseruatur.

ANIMA.

Hiccine igitur, germane mi frater, atque indiuidue comes, in nouum speculi genus deuenimus? Vtinam, si ad spectandam aliquando quam desideramus ac quærimus Domini faciem, nos non promouet, saltem nō remoretur. Hac enim mente (vt nosti) per SPECVLA oberramus, vt in illud tandem optato euentu incidamus, cuius ope, & mentis nostræ maculas eluamus, & internorum oculorum purgato obtutu, aciem illorum sic adaptemus, vt hîc videamus per gratiam, quæ in viâ filiis Dei

reuelantur; & post hanc peregrinationem beatificæ illius visionis fiamus consortes in patriâ.

DESIDERIVS.

Assentior, ô mea columba, & soror dilecta: atque ab hoc præcepto animis scopo non est nobis vllâ de causâ aberrandum. Sed, si datur facultas, votisque nostris cæleste numen adspirarit, danda est nobis sedulò opera; vt, speculorum istorum decursu, ac quali quali adminiculo, mens nostra quoque ita effulgeat, vt instar specularij lapidis tamquam planè cælestis effecta, illustretur ac clarescat. De lapide siquidem isto sic D. Basilius in hunc modum: Specularius lapis transparens ac pellucidus est, & peculiari quadam ac purissimâ perspicuitate prænitens; adeò vt, si is suæ naturæ numeris omnibus respondeat, neque vllâ exesus putredine, sed nec vllâ sui parte perruptus, cum aëre contendat, eique ferè perspicuitate similis esse videatur. Rectè per omnia. Sic enim futurum est, vt illud Tobiæ in nobis adimpleatur: Luce splendidâ fulgebis. cælestis nempe gratiæ splendore. illudque Prophetæ Iob: Lux vultus mei non cadebat in terram. & quemadmodum qui de terrâ terreni, ita nos de cælis cælestes efficiamur. Iustorum namque semita (de virtute in virtutem euntium, donec videant Deum Deorum in Sion) quasi lux splendens, procedit & crescit, vsque ad perfectam diem. Perfectus autem dies hic, est perfectio viæ; perfecta verò dies in cælis, est perfectio patriæ.

Hexaë. hom. 1.

Tob. 13

Iob 29.

Prou. 4

ANIMA.

Credo sic irradiatum fuisse beati protomartyris

tyris Stephani vultum cæleſti internæque illuſtrationis luce ; quando etiam inimici ipſius lucifugæ intendentes in eum, viderunt faciem eius tamquam faciem angeli. O beatam ſic illuminatæ mentis munditiam, quæ in vultu quoque reſplendeat, angeliſque efficiat ſimiles! Sed, quodnam eſt SPECVLI genus, quod in ordine ceterorum nunc obtutui noſtro proponitur, vt fructum quoque ex illius adſpectu conſequamur? *Act. 6.*

DESIDERIVS.

A Mirandum planè; & quàm valdè vſitatum, atque obuium quotidie vniuerſæ hominum multitudini, tam parum notum aut pro ſpeculo habitum. Sunt autem OCVLI ALIENI, quod iam dicimus SPECVLVM, in quo laudis typum ſtatuimus, quam eiuſmodi prædæ venatores ab aliis aucupantur. Certum eſt in primis, tametſi nemo obſeruaret, in patentibus hominum oculis, obiecta quæque, tamquam in ſpeculis figurata apparere. Adeò, vt quemadmodum vnus homo in multis appoſitis ſibique coniunctis ſpeculis, vel in paruis ſpeculi partibus ſimiliter ſibi compoſitis, populi cuiuſdam multitudinem efficit: ita turba aliqua in vnius ſolius oculis diſtinctè conſpicienda appareat. Quinetiam, inquit Plinius, pocula quædam ita figurantur, expulſis intus crebris ceu ſpeculis ; vt vel vno intuente, populus totidem imaginum fiat. Vnde & Annæus Seneca: Sunt, inquit, quædam ſpecula, ex multis minutiſque compoſita ; quibus ſi vnum oſtenderis hominem, populus apparet, vnaquaque parte faciem

ſuam exprimente : ex vno turbam efficiunt: quod & cohærentibus adhuc ſpeculi partibus contingit . Et hominum ergo oculos talium ſpeculorum vicem obire, qui hactenus ignorarit, vel non crediderit; experientiam adhibeat magiſtram, & ignorantia admirationi locum dabit.

Eiuſmodi porrò ſpeculum, de quali nunc agimus, cenſeri poterant oculi Aſſyriorum, qui Iudith pulcherrimam captiuam Holoferni ſiſtentes, intentos in illam oculos defigebant: de quorum vſque ad ſtuporem intuitu, ſic inquit Scriptura : Viri conſiderabant faciem eius; & erat in oculis eorum ſtupor: quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. Indubiè in oculis omnium illam ſic contemplantium faciei ipſius effigies, tamquam in ſpeculo, conſpici poterat. Cumque iam illam tam ſublimè laudarent, vt dicerent vnanimiter; Non eſt talis mulier ſuper terram, in adſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum: non reſtabat aliud, vt in hoc præſens ſpeculum oculorum alienorum Iudith impingeret offenderetque, quàm vt in laude ac gratiâ illorum, & præſertim Holofernis, cuius oculis animoque mirificè tota placebat, ſibi ipſa complaceret & gloriaretur. Sed prudenter illa iuxtà ac conſtanter, in ſe, inſtar ſaxi quadrati, conſiſtens; cauebat, ne quid hiſce verborum lenociniis, oculorúmve collimationibus, animo ſuo impetiginis inureretur. dicebatque ſecum, quod ille Propheta, & quilibet oculatus arcis ſuæ cuſtos ac ſpeculator: Super cuſtodiam meam ſtabo; & figam gradum ſuper munitionem : & contemplabor, vt videam,

Iudith 10.

Ibid. 11.

Habac. 2.

deam, quid dicatur mihi; & quid respondeam, ad arguentem me. Proposito autem nostro congruentiùs dico ego; Vt videam, quid respondeam, ad collaudantem me, mihique adblandientem. In hoc enim consistit periculum speculi præsentis, oculorum videlicet alienorum.

ANIMA.

Aut vehementer fallor, aut SPECVLATIO-
B NIS huiusmodi paradigma typumque expressissimum, in factiosâ atque impiâ illâ Iezabel, est videre: quando nimirum Achab Regem, coniugem suum æquè impium, sic in os collaudauit; vt ad flagitium, à quo ipse vtcumque abhorrebat, impelleret, dicens: Grandis auctoritatis es: & benè regis regnum Israël. Surge, & æquo animo esto: ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ. Rex siquidem, quòd illam Naboth sibi negasset, semianimis iacebat in lecto. Ipsa itaque Iezabel, & innocentem Naboth, prætextu iustitiæ, morti tradidit; & virum suum, ad iniustè possidendam occisi vineam, blandiendo & collaudando, quasi laude irretitum, induxit. 3. Reg. 21.

DESIDERIVS.

Omnino se res ita habet, vt dicis: estque hoc proprium speculi huius exemplum, quod modò habemus præ manibus. Dum videlicet malecautus quispiam, laudisq; auidior, per gratiam quam in oculis hominum obtinet, se in malum perduci finit; neque cogitat, conniuentes eiusmodi applaudentium oculos, dum adblandiun-

diuntur, necare; ac dum fauere creduntur, nocêre quàm maximè. Hiſce ocularibus ſpeculis non vſqueadeò diſpar eſt fraus illa atque pernicies, quæ in crocodili naturâ atque oculis ſpeciatim eſſe perhibetur. Is ſiquidem, conſpecto homine, emittit lacrymas (iam tunc enim homo ille in eius oculis, vt in ſpeculo, continetur quoad imaginem) dumque miſer ad illum tamquam ad lamentantem lugentemque depoſito metu, accedit viciniùs; eumdem atrociter deuorat. Vnde & natum prouerbium: Crocodili lacrymæ. de iis ſcilicet, qui ſub ſpecie pietatis & beneuolentiæ homines fallunt, atque in exitium ducunt. Talibus hominibus illud Sapientis debetur ex merito: In oculis ſuis lacrymatur inimicus: &, quaſi adiuuans, ſuffodiet plantas tuas: &, ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine. Quid propinquius ad crocodili naturam? C

Eccli. 12.

ANIMA.

Hæcque eſt, ni fallor, ipſiſſima paraſitorum, adulatorum, aſſentatorum adblandientiumque conditio, ac pernicioſa natura: vt blandis arrideant oculis, nutu, verbis, & factis, loquantur ad hominem; nihil repugnantes, numquam contradicentes, omnia ad eius voluntatem facientes, cui placere deſiderant; omnia ſuſtinentes; & quem laudibus attollunt, in extremam tandem perniciem blandâ ſuadâ ſeducentes. D

DESIDERIVS.

Exemplum talium SPECVLORVM ALIENÆ LAVDIS & extollentiæ, habemus in libris Regum

gum valdè conſpicuum . Quando namque Rex Roboam, derelicto ſano ſeniorum conſilio, audiuit adulantes adoleſcentes qui nutriti fuerant cum eo; nec miniſtrorum modo, verumetiam paraſitorum more aſſiſtebãt illi, nutuque adblandientium oculorum ſuorum placere ſtudebant, dixerunt ei: Sic reſponde populo, & dic: Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. at ipſe tali collaudantium rhedâ in præcipitium vectus eſt. 3. Reg. 12.

Ita legimus, apud Sonciates, Gallorum olim populos, Regem quoſdam ſecum habere ſolitum adulatores Siloarios, aſſentatores, & id genus hominum, qui vnà ſemper aderant, ſectabantur quocumque iiſſet, idemque faciebant, ſiue rideret, ſiue lugeret, ſeu aliqua caperetur voluptate: denique, qui cum accumbentibus accumberent. Quin & Cliſophus, Philippi Macedonis paraſitus (vt Athenæus eſt auctor) ſe claudum fingebat, quòd Philippus crus fractum haberet. Os inſuper, oculoſque idem contorquebat, dominum ſuum in geſtibus imitans. Niceſias porrò cùm Alexandrum magnum à muſcis petitum videret; Quantò, inquit, hæ ceteris præſtant, quæ tuum ſanguinem deguſtant! Cùm verò vulneratum eumdem conſpiceret, illud Homericum inſignis ille aſſentator in medium protulit:

Qualis diuorum percurrit corpora ſanguis!

ANIMA.

E Quis non videat, quàm fallacia perniciosãque ſint iſtorum hominum blandimenta? & quis eiuſmodi blandientibus oculis & linguis

ſe

se oblectantes, seque quasi byssino vinculo ad E
suspendium trahi sinentes, satis deploret?

DESIDERIVS.

Eapropter, quemadmodum Patroclus proditurus in bellum reliqua quidem Achillis arma sibi assumsit; solam autem hastam, vt grauem ac prævalidam, ne attigit quidem: ita adulator omnia veri amici symbola imitatur, præter solam admonendi libertatem: quæ, vt hasta corpus, sic illa animum amici delinquentis intus ferit. Eam ob causam, sicut in Menãdri Comœdiâ falsus inducitur Hercules, clauam gestans, non solidam ac robustam, sed inanem ac leuem: ita quoque adulatoris libertas, mollis est & blanda, plus assentationis quàm monitionis habens; plus olei lenientis, quàm mordentis vini; idcircò etiam non sanant, sed vngunt tantùm ac palpant. Hunc in modum Tiberio Senatum aliquando ingrediente, adulator quidam exclamabat: In hoc te omnes reprehendimus, Imperator, licet nullus audeat palàm fateri, quòd tu te nobis nimiùm impendis. Ad quæ C. Seuerus: Ista tanta libertas hunc hominem dabit exitio. Tali ironiâ insigni sarcasmo commixta fucum illius inepti detergebat; qui nempe prætextu summæ ac periculosæ libertatis, maximè blandiebatur.

Sed, quàm inanis ac stulta est, hominum in hoc ALIENORVM OCVLORVM & laudum blandientium SPECVLO sibi applaudentium vanitas! In oculis hominum sapiens, vt alter Salomon, apparebis, & re benè considerata verè stultus inuenieris: fortis, vt alter Sampson

pſon aut Hercules, & eris in rei veritate Therſite timidior; eloquens, vt alter Cicero, & re verâ Bardo ſtupidior, ac magis mutus quàm piſcis; pulcher, vt Abſolon, vel Adonidis inſtar, &, Mopſo deformior. Quocircà, dignum ſuâ eiuſmodi fatuitate reſponſum accepit aliquando à ſuo paraſito Cariſopho Dionyſius; quod omnibus huius farinæ hominibus optem propinatum, dum ita auidè laudem blandientium ſitiunt. cùm enim dominum ſuum ſeparatim cum amicis confabulantem & corridentem videret; ipſe quoque procul ſtans effusè ridebat, nihil tamen audiens eorum quæ dicerentur. Interrogatus itaque à Dionyſio, quid rideret: Quòd, inquit, exiſtimem riſu digna quæ dicitis Optimè: nam dum plerumque ridere homines arbitramur, ob gratiam aliquam in nobis obſeruatam: fortaſſe, ſi rogentur, ineptiam noſtram ac vanitatem deriſerint. Hinc Phocion Athenienſis, inſignis Orator, cùm populum ſibi dicenti applaudentem vidiſſet; ad amicos conuerſus, Quid, inquit, num mali quippiam dixi imprudens? Sed omnes potiùs aurâ illâ populari nos ab illâ animi moderatione in deuium complacentiæ abripi ſinimus; quam Cicero etiam in Demoſthene improbauit, dum ſic illum notat: Leuiculus ſanè noſter Demoſthenes; qui illo ſuſurro delectari ſe aiebat, aquam ferentis mulierculæ, inſuſurrantiſque alteri; Hic eſt ille Demoſthenes. Quid hoc leuius? At quantus Orator! Sed, apud alios loqui videlicet didicerat; non multùm ipſe ſecum. Ita de hoc laudis ve[illegible] retibus captato, Cicero. *Tuſcul. qu. li. 5.*

ANI-

ANIMA.

Prudenter eapropter fecerimus, mi frater coniunctiſſime, ſi modeſtam illam prudentemque Noëmi fuerimus (quoad hominum laudes & gratiam) imitati. Illa ſiquidem, dum peregrè reduci Bethlehemiticæ mulieres, non ſine publicæ laudis encomio ſibi acclamarent; Hęc eſt illa Noëmi, pulchra, præſtans, præclara illa virago; nihil ſibi inde laudis decerpens, nihil illorum arrogans, demiſsè reſpondit: Ne vocetis me Noëmi, id eſt, pulchram; ſed, vocate me Mara, hoc eſt amaram; quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens. Itaque flammam laudis alienæ ſuperinfusâ frigidâ in ſuo ortu reſtinxit. Sic quoque facto eſſet opus, quando propter gratiam aliquam, aut veriùs gratiæ ſpeciem, laudabiles hominum oculis apparemus, noſque laudare incipiunt. Nihil etenim ita impetiginem illam alienæ laudis retundit, quàm humilitatis vilitatiſque memoria; & cogitare, quales verè in oculis Dei ſimus: iuxta Senecæ dictum: Intus teipſum conſidera, non qualis ſis, aliis credas.

Ruth 1.

Sen. ep. 77.

Quid enim Herodi profuit ſuperbia, faſtus, & ſupra humanum morem populi adulantis acclamatio? Statuto namque die, veſtitus veſte regiâ, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini: eò quòd non dediſſet honorem Deo (ſed attributum à populo, ſibi quoque arrogaſſet) & conſumtus à vermibus exſpirauit. Neque eò minor eſt culpa, vbi rarior talis pœna.

Act. 12

F

DESI-

DESIDERIVS.

Vtinam id ipsum, ô anima, saperent, sentirentque verè in animo suo, imprudentes ac impotentes humanæ laudis appetitores; qui consilio oculorum alienorum, sibi vice speculi subseruientium, se suaque omnia dirigunt & disponunt: non cogitantes, rem esse plenam vanitatis ac stultitiæ. Quemadmodum enim magna est oculorum speculorumque affinitas (vt initio diximus) ita non minor quoque fallendi æqualitas. Existimant aliqui, videndi rationem fuisse perituram (inquit Cælius Rhodiginus) nisi summi artificis sapientia, post id quod mirè pellucet, nigricans quippiam appinxisset: sicuti speculis allinitur plumbum, pix, aut aliquid simile densum & adiaphanum, vt obscurior illa densitas, sit imaginum veluti sufflamen ac infrenatio; quæ per vitri dilapsæ tralucidum læuorem, ac densiore obiecto non repressæ, euanescerent. Vnde vulgo irroborauit, vt dicatur OCVLVS naturæ SPECVLVM; sicut SPECVLVM, artis OCVLVS nuncupatur. *Lect. Antiq. lib. 3. cap. 28.*

Esto id totum verum, & ita vt dicitur: atque oculi fabricam, vt admirabilem, viceque speculi obeuntem, obstupescamus: vanúmne G tamen ob id esse desinit, ex oculis hominum, velut ex speculis voto tuo obsequentibus, laudem captare & gratiolam aliquam emendi- H care? Choris & pompæ Iunonis atque Isidis, eiusmodi cincinnatos ac calamistratos symmystas, laudis aucupes, adscriptos oportuit; vt egregiè sint toti mundo spectabiles; fabulosi nempe, & mera potiùs ipsimet fabula. Sic enim

Li.6.de Ciuit. Dei, cap.10. de similibus, D. Augustinus: Sunt, quæ Iunoni ac Mineruæ capillos disponant, longè à templo, non tantùm à simulacro, stantes: digitos mouent, ornantium modo. Sunt, quæ speculum teneant: sunt, quæ ad vadimonia deos suos aduocent. Quemadmodum & Apuleius de pompâ Isidis, inquit: Mulieres candido splendentes amicimine, verno florentes coronamine; quæ de gremio per viam, quâ sacri incedebant comitatus, solum sternebant flosculis. Aliæ quæ nitentibus speculis, pone tergum reuersis venienti deæ obuium commonstrent obsequium. Hisce inquam pompis & chorisimmixti isti curiosuli, & vndique corraſis inhiantes honoribus, fortè esset, in quo etiam ipsi dæmoniis illis idoneum offerrent obsequium. Sed, faceſſant hæ fabulæ, cum insensatorum hominum moliminibus, qui se propemodùm deos existimant, si cuiusquam mortalis gratiam, quam aucupantur, obtinuerint.

ANIMA.

Vtinam omnes potiùs gratiam in oculis Domini inuenire studeamus, quæ verè nos humiles, pios, sanctos, iustos, atque propterea ipsi gratos ac beatos efficiat. Tunc enim ex animo ipsi omnium conditori ac Domino nostro dicere possimus: *Psal. 122.* Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Vt à longè speculari locum solent peregrini, aut reduces exules, ad quem summo desiderio optant pertingere. Salutant à longè, iam illic est animus, & tenere videntur, quod eminus contemplantur. Et hoc ipsum est

est veri nominis contemplari; cælum adspicere. Nam cæli conuexum, quo vndique spectabile est, totumque cælum ipsum, primò templum est nuncupatum: vnde & loca illa, quæ in modum cæli concamerata, ab omni parte conspici possunt, antiqui templa nominarunt; vnde & venit contemplari, talia loca circumspicere, non mutato vestigio. In cælum igitur oculos leuantes contemplemur, vnde veniat auxilium nobis. Domine, ad te sunt oculi nostri: &, sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum; ita oculi nostri ad te Domine, donec miserearis nostri. *Psalm.* 120. & 122.

Si in oculis tuis inuenerimus gratiam: parum est, etiamsi gratiam apud homines non inueniamus, nisi quantum cum tuâ gratiâ consistit. Ceterùm, cum viro secundùm cor tuum constanter dicimus: Corripiet me iniustus in misericordiâ, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Psalm.* 140.

Huc ades: et quid sis, quid eris, fuerisue, tuêre.
Huic SPECVLO titulus Γνῶθι σεαυτὸν erit.

A. SPECVLVM propriæ vilitatis.
B. Intenta mortis meditatio.
CC. Mors, vna ex parte speculum mortis ostendens, ex alterâ necem intendens.
D. Vermium serpentumq; hereditas.
E. Vilitas vilitatum, vas miseriarum.
F. Cærimonia diei cinerum.
G. Deus Adæ: Pulvis es, et in pulverem reverteris.
H. Deus Moysi: Mitte manum tuam, in sinum tuum.
I. Trabis et festucæ, in oculis præpostera speculatio.

VI. SPECVLVM PROPRIÆ VILITATIS.

DESIDERIVS.

BINAM es, anima mea, soror mea, sponsa? Num speculorum hucusque tam suspectorum, fallaciumque, & periculosorum adspectu deterrita aufugusti? vel tædio affecta despondénsque animum, latebras, doloris amicas, quæris? Redi paulisper ad te, redi ad me, & ad speculationem fine bono conceptam ambo redeamus. Ecce, ecce: terrena iam specula pertransiuimus; ex quibus, tametsi boni multum rectè prudenterque vtentibus queat produci (quemadmodum nos vtilitatem non contemnendam, primariæ nostræ intentioni ac speculationi seruientem, ex eorum contemplatione percepturos confido) tamen vt plurimùm plus mali quàm boni exinde consequitur. Iam verò, ad saniora, vicinioraque saluti, atque scopo nostro magis accommoda specula, fit nobis ingressus. Deinceps inoffenso mentis obtutu per subsecutura licebit decurrere, ac omni metu sepositò spatiari. Quocircà, animæquior esto: reuertere, vt in istis faciem tuam contemplemur.

ANIMA.

Quænam est hæc vox tua, dilecte mi; tam nouæ & securæ consolationis assertrix & nuntia? Spésne est ergo, tandem specula tutiora nanciscendi, quorum ope & operâ, ad speculandam hîc Dei nostri bonitatem, & in futuro

olim sæculo maiestatem, adiuuemur? Certè, molestum est admodum, triste, ac tædiosum, ita hîc caligare, versari in tenebris; lumen sperare, ad lucem adspirare, sectari claritatem, & morari in densæ noctis caligine. Siqúe me lamentantem, querulam, & eiulantem interrogauerit aliquis; vel ipse quoque, quem quæro, Deus meus, & Dominus meus, sponsus & IESVS meus; quid mihi velim vt faciat: quid aliud responsi, si sapio, dare potero; vel à me queat expectari; quàm illud vnicum necessarium: *Marc. 10.* *Domine, vt videam?* Videam, agnoscam, sentiam, infirmitates meas, defectus meos, miserias meas: videam quoque, quàm bonus & suauis es, Domine, quamque longanimis & misericors: quin, lumen quoque gratiæ, visitationis, illustrationis tuæ, & quidquid ad aliquando videndum te, sicuti es, queat conducere; videam hoc totum, accipiam, teneam, vtar, fruar, nec dimittam, donec omnis cõsummationis teneam finem: & certus sum, quòd benè mihi hoc pacto futurum est. Quapropter, ô frater, si speculum huic speculationi conueniens nacti sumus, vt fiat cor nostrum immaculatum, & in lumine videamus lumen: est quòd gaudeam, quòd Deo gratias agam; eiusque munificentiâ sedulò vtamur.

DESIDERIVS.

Tale nunc nobis (ô anima mea) inuentum est speculum: quo si rectè vsi fuerimus, ad sequentia adhuc præstantiora commodam nobis aperuerimus ianuam. Attende, obsecro, ad verba Sancti cuiusdam mirabiliter illustrati, quibus nos

nos in viam optatæ ſpeculationis deducit: ſed attende inquam, quia attentione eſt opus, & poſteà liberiore luminum exſpatiatione vti licebit. Sic igitur inquit: Duplex aſſignatur hominis felicitas: vna ſpeculatiua, quæ eſt operatio ex virtute perfectâ contemplatiuaque, quam ſapientiam dicimus: altera verò practica, quæ hominis eſt perfectio ex virtute actiuâ; quæ eſt prudentia. In intellectu, ſpeculatiuam conſiderare vim poſſumus; cuius eſt finis, virtutis cognitio: & practicam, cuius eſt finis, operatio. Hactenus ille Doctor verè angelicus. Vnde colligimus, præter alia, ſi felices hîc eſſe & poſteà beati deſideramus, ſpeculatiuæ dãdam in primis eſſe operam; quâ ad virtutis cognitionẽ veniamus, eamque tum poſteà per debitam operationem practicemus. Ad hoc autem maximo nobis auxilio futurum præſens SPECVLVM, quod PROPRIÆ VILITATIS agnoſcendæ nuncupatur. In quo, veluti in proprio fonte vel puteo (vt vulgò dicitur) noſipſos diſcamus agnoſcere: &, non quid nobis vel hominibus mundi de nobis videatur, ſed quid de nobis ſit in ipsâ rei veritate, cognoſcamus.

D. Tho. Aquin.

A

ANIMA.

B Explica precor, imò & applica nobis hoc SPECVLVM, mi frater: nam, quantum capio, vera ac ſincera ſui ipſius cognitio, eſt certiſſima ac ſecuriſſima ratio & via pertingendi ad cognitionem Dei; in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, ſcientiæ, & virtutum abſconditi. De quâ notitiâ non eſt dedignatus ipſemet Dominus ſublime hoc nobis reuelare myſterium, vt

Coloſſ. 2.

Ioan. 17. Patri suo cælesti diceret: Hæc est vita æterna: vt cognoscant te, solum Deum verum; & quem misisti, Iesum Christum.

DESIDERIVS.

In primis, quemadmodum fastus elatio, & tumor superbiæ, ad sublimè semper de nobis sentiendum instigant: ita eâdem operâ impediunt quo minùs, vt par est, de nobis ipsi iudicemus; quod non nisi per sinceram humilitatis bilancem decernitur. Nam, sicut genarum inflatio oculos conniuentes intercludit, & distinctè videre non patitur: ita mentis tumor internum prohibet visum; præsertim, quo de nobis nostrisque actionibus & rebus discernamus. Quapropter, amicum saluti hoc Speculum amplectamur, rectèque vtamur: quò candidè cognoscamus, quid in rei veritate, & coram Deo, de nobis sentire debeamus. Rem omnem, vt est, non vt nobis interdum videtur, vel alij de nobis iudicant & loquuntur, sed vt verè se habet, diiudicemus, ac certò teneamus. Quia tantus quisque est, & tanti, quantus quantique est apud Deum, & non ampliùs, vt inquit humilis Franciscus. Dei namque oculus falli non potest aut hallucinari.

Vt autem veram hanc nostræ conditionis effigiem in hoc speculo, sine falsi formidine, contemplemur: eamdem non tam sub humilitatis, quàm sub vilitatis titulo considerabimus. Nam verè, frustrà se humilem esse confidit, qui non se vilem existimat. Id igitur primùm in genere circa hominis mortalis substantiam & naturam expendamus; & C

tum

tum ad noſtram ipſorum in particulari vilitatem ſcrutandam & agnoſcendam veniamus. De miſeriâ ac vilitate hominis, in communi, præter tot tamque varios atque egregios libellos ſuper hac re ex profeſſo à piis & doctis viris conſcriptos, quid breuius, clarius, efficaciuſque proferri poſſit, quàm quod beatus Iob paucis perſtringit dum ait: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur; & fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet. *Iob 14.*

Scimus, nec imus inficias: tantam eſſe dignitatem ac maieſtatem humanæ ſtructuræ, ſi conditoris ſummique eius architecti ac plaſmatoris Dei bonitatem, ſapientiam, ac potentiam attendas, vt omnis ſimul omnium ſapientum induſtria, ne quidem minimam eius partem valeat intellectu aſſequi, nedum eloquio explicare. Sed nos hîc modo de miſeriâ ac vilitate eiuſdem diſſerimus; quæ non minùs omnem captum humanum atque vim eloquendi excedit. Adeò, vt quilibet in ſemetipſo habeat, & quo iuxta conditionis nobilitatem artifici Deo aſſiduas agat gratias; & quo iuxta miſeriarum agnitionem, ſe infra omnes creaturas humiliet: certâ videlicet quadam ratione, viliſſima quæque ſibi præferenda conſiderans. Quæ omnia, vt ſuccinctè, quaſi in ſeriem digeſta, oculis potiùs quàm linguâ percurramus, & quodammodò in præſenti VILITATIS NOSTRÆ SPECVLO contemplemur: animum quæſo ad ſubnectenda aduertamus.

Prima ſit in hoc decurſu vilitas materiæ con-

cepti iam hominis; quam, præ verecundiâ, cogitasse sit satis, vt parcamus auribus. Vilitas nutrimenti viuentis iam fœtus proximè succedat: nutrimenti dico, non quo per os, sed per vmbilicum, vt habet natura, in matris vtero vitam trahit & sustentatur. Quod alimentum, vel cogitatum tantummodò, horrorem adfert intelligenti, præ sui abominatione. Nam, vt testis est Plinius, nihil facilè reperiatur mulierum profluuio (quod tamen in iam concepti fœtus alimentum conuertitur) magis monstrificum. Hoc enim exuruntur hortorum germina, SPECVLORVM fulgor adspectu ipso (mulieris videlicet, cui menstrua eunt) hebetatur; acies ferri perstringitur, eborisque nitor; aluei apum emoriuntur, in rabiem aguntur canes; imò & homines, si eius vel minimam guttam in cibo potúve acceperint: qualem ego, tali maleficio factum phreneticum, noui; qui tormentum hoc, aliquando molestius mihi asserebat torturâ iudiciariâ, quam tamen ab hæreticis fuerat passus; aliquando verò tam erat insensibilis, qui nec verbera nec vulnera inflicta persentiscerent: & hoc ipsum, fœtui adhuc gestato est nutrimentum.

Subsequatur nunc vilitas impotentiæ nati iam pueri, vt vilissimam partus constitutionem omittamus. Impotentiâ illâ corporali, notâ omnibus; vide an non multò sit vilior impotentia, ignorantia, ac miseria spiritalis. Succedat miseriæ adnatæ vilitas, ac necessariò ferendæ per omnia: vilitas animi degenerantis ad malum: vilitas ex morborum varietate, fœditate, naturæque subiectione:

vili-

D vilitas ex mortis horribilitate, ac ſerpentium vermiumque hereditate: vilitas reprobationis, in quos cadit: vilitas peccati mortalis, damnationis, loci infernalis, ſociorum, & tormentorum, in quæ omnes nati ſumus venire, ſi poſt baptiſmum in ſtatu mortiferi peccati decedimus.

E Quid plura? Summa; vt vanitas vanitatum, ita vilitas vilitatum in homine conſideranda eſt. Adeò vt verum omnium miſeriarum mancipium, & mundi ludibrium, ac peripſema dici meritò poſſit. Iſta ecce omnia in SPECVLO iſto contemplamur. Ita vt non ſolùm vilibus vniuerſis homo comparari, verumetiam illa ipſa dici poſſit: homo bulla, ſpuma, vapor, aura, nubes, fumus, fimus, fæx, fungus, ceſpes, gleba, ſtipula, flos deciduus, fœnum, floccus, ſtilla, ventus, ſibilus, vmbra, phantaſma, ſonus, ſomnus, punctum, pluma, alga, villus, hilum, vappa, nautea, putredo, nauci, ſcoria, ſiliquæ, pœdor, ſitus, mucor, quiſquiliæ, puluis, cinis, cœnum, abortiuum, excrementum: quo nouiſſimo titulo ſororem ſanctus Bernardus compellabat, cùm ſtercus ſerico inuolutum nominabat. Ecce igitur inſignem noſtram nobilitatem, ſuis inſignibus in hoc ſpeculo quaſi in tabulâ figuratam. I nunc & gloriare, homo.

ANIMA.

O miſerandam miſerorum mortalium miſeriam, miſerias ſuas nõ agnoſcentium! Interim ita quotidie expendendis admirandiſque, quæ noſtræ ſunt excellentiæ, diſtinemur; vt vix momentum temporis ſuppetat, viliora conditionis noſtræ

noſtræ inſpectandi Spes tamen eſſet, ſi id agere-
mus, fore, vt cum pauone ſpeculariam illam
inanis cõplacentiæ caudam ac ſuperbiæ criſtas
humiliati demitteremus, ſi ſordidos atque abo-
minabiles vilitatis noſtræ pedes inſpiceremus.

DESIDERIVS.

Verùm enimuerò, ô anima, ne, quod in aliis
communique hominum genere, improbamus,
id in nobis ignoremus, nos ipſos particulariùs
ad vnguem exploremus. Númne verborum
illorum recordaris, quæ ſacerdos pronuntiat,
quando in Cinerum die, Chriſtianorum fron-
tem in modum crucis cinere aſpergit, dicens:
*Memento homo, quia puluis es: & in puluerem
reuertêris?*

ANIMA.

Recordor: neque pium hoc obſequium vm-
quam, quod ſciam, omiſi: nec parui faciendum
exiſtimo tam ſalutare Eccleſiæ inſtitutum; &
quidem in capite Ieiunij.

DESIDERIVS.

Id rectè quidem, ô ſoror dilecta: ſed fortaſſe
non ita, vt par fuit, verborum illorum pondus
& energiam tecum expendiſti: ſed in communi
tantùm, omnibus id hominibus (vt iam nunc
fecimus) applicando: non autem ad temet-
ipſam in particulari: quod nobis, in præſenti
SPECVLO VILITATIS PROPRIÆ, eſt
inueſtigandum.

ANIMA.

Fieri poteſt, quod dicis: nam, ab quolibet
homine, humani nihil alienum exiſtimandum
eſt. Quocircà non erit abs re, ſi verborum illo-
rum occaſione propriam vilitatem hîc inter
nos

nos discutiamus & agnoscamus : quia iuxta D Bernardi sententiam, Humilitas est virtus, quâ, verissimâ sui cognitione, sibiipsi quilibet vilescit. Addo ego; quòd ita vilis & contemtibilis sibi, verè aliis humilis fiat, sitque in veritate: dumque se ipse despicit, mundus illum tum suspicit. Nónne sic Christus ipse Zacchæum suspexit, humilem factum in sycomoro sublimatum? Vnde Bernardus: Non magnum est, esse humilem in abiectione: sed magna prorsus & rara virtus est, humilitas honorata. Et D. Hieronymus: Nihil est, quod nos ita & hominibus & Deo gratos facit, quàm si vitæ merito magni, & humilitate infimi simus.

Bernard.

Luc. 19

DESIDERIVS.

Credo prorsus, ô anima, quandocumque verba illa cum cineris impositione nobis à sacerdote in faciem dicuntur, officij nostri esse, non aliter illa audire atque accipere, quàm accipienda erant Adamo, cũ ipsi à Deo dicebantur: & non aliter, quàm si nobis, nõ per aliquam cærimoniam, aut consuetudinem, sed inopinatò ab aliquo, in faciem dedecus aliquod aut infame improperium coram aliis impingeretur; quod verè in nos actusque nostros reipsa caderet & quadraret. Sicut exempli gratia, si illud Bernardi, quasi ex professo alicui diceretur, qui in facto deprehensus, nimiæ superbiæ vel arrogantiæ meritò notaretur: Cogita, vnde veneris; & erubesce: vbi sis, & ingemisce: quò vadis, & contremisce. Sic enim Adæ Deus, quando stimulante superbiâ, inobedienter in suum auctorem, suasu serpentis insurrexerat, adeoque

Bern. serm. de primordiis &c.

G

diuinæ

diuinæ pluſculum celſitudinis ambiebat; tum æquum putauit, vt, qui ſe ſupra ſe faſtuoſè leuauerat, & mente tumente, quaſi deus quiſpiam futurus, ſublimia nimiùm appetiuerat, vilis memoriâ originis humiliaretur. Sicuti flammæ ſurſum liberiùs aſcendenti iniicitur frigida, vt eò reprimatur, vnde excreuerat. Dixit
Gen. 3. itaque ei Deus: Reuertêris in terram, de quâ ſumtus es: quia puluis es; & in puluerem reuertêris.

Videris nunc tu, ô anima mea, atque ego tecum; an vmquam ſeriò ſic verba iſta, a ſacerdote tibi prolata, in aures noſtras inſonuerint, vt innatam noſtrâ ſuperbiam, noſtriſque pluris æquo exiſtimationē, hoc malleo retundi ſenſerimus. An verè vel tunc, vel aliàs, huius humiliationis occaſione & typo, hoc in nobis experti ſimus, quod haud dubiè in ſe ſenſit & expertus eſt Adam, quando hæc humiliatio ipſi ob oculos poſita fuit, & quaſi depreſſio tumentis animi in faciem impacta. An item hoc vmquam per illam cærimoniam cinerum, ac verborum acrimoniam, in nobis ſenſerimus, quod certo certiùs in ſe ſenſit Abraham, quando Deo in an-
Geneſ. 18. gelis ipſi apparente, dicebat: Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum: cùm ſim PVLVIS ET CINIS.

Et verè, quid ſumus, ô ſoror chariſſima, quàm puluis & cinis? PVLVIS, terræ tritæ excrementum: & CINIS, rerum combuſtarum ſuperfluum? Faſcis lignorum, manipulus ſtraminis, & fœni ligatura, ſimiliſque materia combuſtibilis, aliquid eſſe videtur, dum ſtat in ſuâ integritate; maximè ſi quiſpiam ornatus adhibeatur; quem-

admo-

admodum olim Xerxes platanum insignem, iusso aliquot dies stare exercitu, armillis, torquibus, catenisque aureis, pro animi sui voluptate adornari præcepit: atque ita est homo in ornatu suo. Sed in cinerem redactis vniuersis, nec forma, nec status, neque species vlla est reliqua. Itaque cinis cinerem arguit, nosque confundit, dum superbimus quamdiu superfumus.

Sic & amphora, dum integra est sibique constat, aliquid sine dubio esse videtur: vnde Poëta, ad cœpta alicuius momenti, non fortita tamen debitum ac dignum finem, alludens, sic canit:

——— *Amphora cœpit* Horat.
Institui; currente rotâ cur vrceus exit?

At dum illa, quantumuis ampullata, in minutas partes confracta, imò contrita & redacta in pulueres, humiliata pedibus cõculcatur: nec prioris quidquam formę apparet, nec quippiam refert eius quod paulò antè esse videbatur.

Sed, quare non ista sic applicamus nobis; quandoquidem ipsis vocabulis vtimur, quando rem requisitam volumus nominare. Nónne ita Psal. 50.
cor contritum & humiliatum vocamus? nónne requisitum ad veram remissionem peccatorum necessariumque dolorem, contritionem proprio vocabulo nuncupamus? Omnino; sed quando verè ita de nobis existimamus? quando verè tales sumus? vel esse satagimus?

Sic etiam; terrà sumus: credimus, quia de terrâ creati: sed interim proteruimus, superbimus, attollimur, intumescimus. Quare? quia terra viua, terra animata, terra mobilis sumus. Et quid tum posteà? Nónne & terra illa, quam talpæ

sensim

sensim emoliuntur & eruunt, mobilis est; & si vis, viua quodammodò atque animata; vita nimirum talpæ intus agentis atque eam mouentis? Et quid quæso nos aliud sumus, quàm terra, spiritu intus agente, mobilis; terra tamen?

Isa.23. Erubesce Sidon, ait Dominus Deus: & mare, atque abyssus miseriarum nostrarum. Nam si animi nostri miserandum ac vilem statum expendere non pigeat: nónne meritò nos confundit & humiles debet efficere, quòd, quidquid bonum & honestum est, vix nobis queat inculcari; inculcatum non hæreat? quod verò peruersum ac vitiosum est, vix possit dedoceri? Mala, sponte nascuntur, & difficillime euelluntur: bona, diligenter inserta & culta, difficulter proueniunt, & momento citiùs euanescunt ac marcescunt.

Et quomodo non ex peccati obscœnitatis indignitate nobis ipsi vilescimus; cùm, teste Isidoro, tam vilis & abominanda sit carnis spurcities, ac libidinis vitium, vt pro insitâ dæmonibus superbiâ, vix quisquam sit, qui homines ad illam velit tentare: neque facerent, nisi inuidia salutis humanæ illos ad id officij instigaret. O miseriam nostram!

Itaque, si sapimus, ô anima, vnica dilecta mea, satis insaniuimus, satis superque superbiuimus, satis nos supra nos extulimus. Tempus est, vt, Moysis exemplo, dictum nobis arbitremur

Exo.4. à Domino: Mitte manum tuam in sinum H tuum. nihil autem addubitandum, quin illam instar niuis, vt ille, sed non tam immunes à culpâ quàm ille, leprosam simus extracturi.

Intremus, ô anima, æqualibus passibus & con-

coniunctis animis, in castellum quod contra nos est: in conscientiam, arcis instar, pro nostrâ quidem conseruatione, si obtemperamus, sed contra nos in medio nostri exstructam, si rebellamus: & certo certiùs, in eam ingressi, statim alligatam in biuio inueniemus asinam, animam inquam peccatricem. Introspiciamus quoque capsulam hanc corporis nostri; exteriùs quidem satis concinnam & ornatam, sed intus plenam ossibus mortuorum & pœdore peccatorum. Perfodiamus cum Ezechiele parietem conscientiæ in malis maceriatæ: & ibi videbimus abominanda nequitiæ, atque omnium irrationabilium animalium & brutorum effigies. *Mat.* 21. *Mat.* 23. *Ezech.* 12.

SPECVLEMVR vultum nostrum in SPECVLO hoc PROPRIÆ VILITATIS, & certò agnoscemus, quòd Cicero olim acutè & disertè dicebat cuidam, sibi fortasse plùs æquo placenti: Credo; postquam tibi SPECVLVM allatum est, longè te à pulchris abesse sensisti. Neque tantùm, ô anima, sic speculando contemplemur: sed in rei veritate & sentiamus, & sic nos geramus. Vilitas nostra semper ob oculos versetur: & verè eapropter efficiat humiles. Deinde, quod proximum est vilitatis ac humilitatis argumentum, numquam alios præ nobis contemnamus: sed, si cum D. Hieronymo ex trabe, quæ verè in oculis nostris est, de festucâ in aliorum oculis subuenerit nos posse arbitramur; saltem, ne ita vmquam hallucinemur, vt ex festucâ trabem in aliis, & è contrà in nobis ipsis ex trabe festucam effingamus. Sed iuxta Bernardum: Consideret seipsum homo, vt piè condescendat proximo. *Cicer. in Clodiū & Curionem.* *Mat.* 7.

Vis hominum diuûmque oculis ſpecioſus haberi?
Temet ad hoc SPECVLVM reſpice, come, laua.

A. *Dauid Deo: Asperges me Domine hyſſopo, et mundabor.*
B. *Aeneum labrum, è ſpeculis mulierum, in tabernaculo.*
C. *Specula lotioni aptata.*
D. *Sacerdos et Leuita, ſe ad ſpecula lauantes.*
E. F. *Piarum mentium deſiderium, vt emundentur, et illuſtrentur.*
G. *Filia Sion, lauans cor: Et Sacramenti poenitentiæ præſtantia.*

VII. SPECVLVM PVRGATIVVM.

DESIDERIVS.

QVî tibi arriſit, ô anima, fidele illud SPECVLVM, quod manus noſtræ modò contrectarunt, & oculis noſtris ſubiectum fuit: in quo non ſolùm miſeriarum humanæ vitæ, ac demum mortis ipſius horribilis ſpecies viliſque conditio liquidò viſa atque conſpecta eſt; verumetiam propriæ vilitatis ideas penitiùs licuit intueri?

ANIMA.

Tam gratum illud acceptumque fuit, quàm eſſe oportet, quod ad benè rectèque viuendum, Deo placendum, atque ad eius beatum aliquando conſpectum pertingendum, cumprimis eſt neceſſarium. Nam, quemadmodum non niſi propriæ exiſtimationis ſublimitate angeli de cælo delapſi ſunt: ita non niſi propriæ vilitatis agnitione, homini in cælum patet aſcenſus. Rectè propterea Gregorius: Humiliare, & apprehendiſti. Alioqui niſi quis efficiatur ſicut paruulus, non intrabit in regnum cælorum: tantum abeſt, vt inter maiores ibidem computetur. Quocircà, placet hoc SPECVLVM, quod nos propriæ indignitatis, & tandem extremæ periodi, non ſinit eſſe immemores.

DESIDERIVS.

Et mihi placet, ô anima, hoc tuum placere & memorari; quâ de causâ tibi quoque congratu-

lor vehementer. Sed, sed inquam; scis, quid nunc restet agendum? Nónne mecum fateberis, quod res est: parum admodum aut veriùs nihil esse, sordes suas & maculas in speculo contemplari & non abstergere; agnoscere culpam, & non emendare; lapsum fateri, sed nolle resurgere; aut velle quidem, sed non præstare? Quid ergo iam seriò nobis facto sit opus, ex animo restat perpendendum. Dicamus itaque ac faciamus, quod fortes olim illi Machabæi, dum commodo nobis typo & exemplo se inuicem ad opus incitabant & hortabantur. Sic habet historia: Dixit autem Iudas, & frater eius: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc, MVNDARE SANCTA & renouare. Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion. Illuc & nos ascendimus pariter, ô anima, dum in speculo præcedenti, tamquam è speculâ (quod Sion significat) omnem nostram desolationem, ac miseram nostri status (lapsus inquam) conditionem sumus speculati. Et viderunt, inquit Scriptura, sanctificationem desertam, altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus, & pastophoria diruta. Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum: & ceciderunt in faciem super terram, & exclamauerunt tubis signorum, & clamauerunt in cælum.

1. Machab. 4.

Hæc omnia nobis, ô anima, spirituali altioríque modo sunt facienda, præ consideratione vastitatis atque euersionis sanctuarij cordis nostri: & præ multiplici abominationum nostrarum

rum colluuie; quâ omnis loci ſacri religio, decor, & pulchritudo obducta & obſcurata eſt: prout nobis præteritum proximè ſpeculum ob oculos ſtatuit. Reſtatque modò, vt diligenter id præſtemus, quod ibidem de illis præclaris Machabæis ſic legitur: Et MVNDAVERVNT SANCTA; & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et, quandoquidem non ſolùm cum Apoſtolo Paulo, tam fidæ ſpeculationis auxilio, certò didicimus, & ſcimus, quòd non habitat in nobis, hoc eſt in carne noſtrâ, bonum: verumetiam quod cum Prophetâ Regio in ſpeculo propriæ vilitatis agnouimus, quòd non ſit ſanitas in carne noſtrâ à facie iræ Domini: nec ſit pax oſſibus noſtris, à facie peccatorum noſtrorum; quodque putruerunt & corruptæ ſint cicatrices noſtræ, à facie inſipientiæ noſtræ; quòd lumbi noſtri impleti ſint illuſionibus, & non ſit ſanitas in carne noſtrâ: dicamus quoque cum eodem; Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei nō fuerint dominati: tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Quid alioqui proderit mulieri, formæ ſtudioſæ, maculas vultus ſui in ſpeculo conſideraſſe; niſi quoque quàm primùm illas vel ſpongiâ vel adhibitâ lymphâ diluerit? Dicamus igitur, ô anima, cum caſtâ illâ Suſannâ: Afferte mihi oleum & ſmigmata, vt lauer. ac iuxta conſilium Noëmi ad Ruth: Lauare, & vngere. Nam, ſi nos non

Rom. 7.
Pſ. 37.
Pſ. 50.
Pſ. 18.
Dan. 13.
Ruth 3.

defuerimus nobis, in maculis noſtris abluendis; non deerit Spiritus ſanctus officio ſuo, ad nos oleo gratiæ cæleſtis vngendos. Atque ita coniunctis muneribus, lauabimur & vngemur.

Sed, hoc vnicè cauendum eſt nobis, ô dilecta & vnica mea: ne proprio ſenſu abundantes, Naamannum illum imitemur, qui in ſui mundatione expetitâ, ſuo iudicio nimiùm ſtetit. Sed cæcâ quadam obedientiâ, atque proprij iudicij reſignatione, captiuanteſque intellectum, cæcum illum potiùs euangelicum ducem ſequamur. Naaman etenim lepram toto diffuſam corpore agnoſcens, & munditiei remedium quærens; inuentum, pænè ſuis manibus priùs excuſſit, quàm apprehendit. Cùm ei namque dici iuſſiſſet Eliſæus vt iret, lauaretque ſe ſepties in Iordane, cum certâ promiſſione, quòd receptura eſſet caro eius ſanitatem, mundaretúrque; iratus receſſit, dicens: PVTABAM, quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui; & tangeret manu ſuâ locum lepræ, & curaret me. Numquid non meliores ſunt Abana & Pharphar, fluuij Damaſci, omnibus aquis Iſraël, vt lauer in eis, & munder? Et, quare quæſo, ô Naaman, bellicoſiſſime princeps, ac vir alioqui prudentiſſime, hæc omnia tecum tuo ita calculo ſupputaſti? quare talem & talem certum modum tibi præſcripſiſti, itaque fieri debere putaſti? & quare non potiùs amputandum hunc omnis ferè erroris ſurculum, in temetipſo amputaſti? An forſitan ignorabas, tuum non eſſe, Prophetæ, adeoque ipſi Deo, Prophetarum & omnium Domino,

4. Reg. 5.

in

in tui curatione leges præfigere; sed omnibus modis ipsius legi obtemperare?

Eapropter, ô mea columba, si verè à maculis nostris, iam satis perspectis, purgari satagimus; cæcum potiùs illum, vt dixi, sectemur exemplo suo præeuntem, intus priùs & meliùs quàm foris illuminatum. Ille siquidem, cùm luto facto ex sputo inunctus oculos, audisset à Domino; Vade, laua in natatoriâ Siloë, quod interpretatur Missus; abiit, & lauit, & venit videns: quam ipse quoque promtam obedientiam quodammodò succinctis suis verbis expressit; dum rogatus à populo, rem omnem professus est, dicens: Abij, laui, & vidi. *Ioan. 9.*

ANIMA.

Opportunè me admones, ô dilecte mi contubernalis; tametsi non planè immemorem. Sed, obsecro, perge modum ipsum describere atq; proferre in medium, quem in nostri mundatione tutissimò obseruemus: ego interim, Deo iuuante, & aures præbebo sermoni; & manus, auditis omnibus, adhibebo tecum operi quàm expeditissimas; vt est æquum.

DESIDERIVS.

Quandoquidem prudentum consilio celebratum est; Consulto priùs, tum facto opus esse: non malè huic nostro proposito seruiet
B æneum illud labrum, quod Moyses Dei iussu in tabernaculi vsum fieri curauit de SPECVLIS mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Nam in illo & specula habemus maculis detegendis, & aquam detergendis. Si (quod ali- *Exo. 38*

qui putant) labrum ipsum fusile ex æreis mulierum speculis conflatum fuit (nam olim ex ferro, quod

—— dum transit in vsus
Assiduos, splendore micat, vultúque nitenti
Audet ad argenti decus adspirare superbum,

& ex albo plumbo, hoc est stanno, ære, & mixtis ex hisce materiis, specula fuisse facta, est in confesso) speculorum saltem materia, speculandi memoriam repræsentat: quemadmodum thu-
Nu. 16. ribula ænea illegitimorum sacerdotum igni consumtorum Dei iussu in laminas producta & affixa altari, pro signo & monimento filiis Israël seruiebant, ne quis amplius alienigena auderet accedere ad offerendum incensum Domino. Sin verò (vt alij volunt) etiam ipsa C
specula integra in circuitu labri defixa conspicua fuerint, in quibus, vt putant, circumquaque sacerdotes & leuitæ se loturi & lauantes D
inspicerent, tumque aquâ ibidem præsente se mundarent: meliùs adhuc nobis exempli & typi loco, res illa sic vsurpata obsecundauerit.

Accedamus igitur; & considerantes diligenter conscientiæ nostræ faciem, imò totos nos à capite ad calcem speculantes, videntes agnoscentesque maculas nostras, illas diuinæ misericordiæ lymphâ mundemus. Tanta siquidem est vis huius SPECVLI ac speculationis, vt dicat Bernardus (quod antè meminimus:) Ipsum fontem suum (id est, mentem de quâ oritur) purificat CONSIDERATIO. Fons quidem considerationis mens est ipsa: sed nisi à fonte & capite fontium venam educat, arida

pror-

prorſus & ſterilis valdè futura eſt eiuſmodi ſpeculatio & conſideratio, à tali mente profecta.

Quocircà, Domine Deus, aperi nobis theſaurum aquæ viuæ; fontem patentem domui Dauid, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ: fontem viuum, ſedentem olim ad puteum aquarum morientium ſemperque ſitientium; fontem ſalientem in vitam æternam. Ecce Domine, proſtrati ad pedes tuos cum leproſo clamamus ad te, fide magnâ, & ardenti charitate: Domine, ſi vis, potes nos mundare. Dixiſſe te Domine, per ſpiritum tuum in Salomone loquentem, meminimus aliquando: Per miſericordiam & fidem PVRGANTVR peccata. Fidem habemus, & credimus Domine, verumtamen adiuua incredulitatem noſtram: tibi verò proprium eſt miſereri: atque ita miſericordia & fides in promtu ſunt; quid ergo prohibeat nos mundari, & à peccatis repurgari? Si itaque vis, potes. Inclina voluntatem, oſtende potentiam, & da ſanitatem: ſicque facturus es nobis ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Audiam quid loquaris in me, Domine. Dic, Volo; dic, Mundare: & confeſtim mundabor. Quid enim proderit diuinæ tuæ maieſtati, ſi in ſordibus permanſerimus: & fortaſſe, qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc? Non enim in talibus beneplacitum eſt tibi.

Nu. 20 *Zach.* 13. *Ioan* 4. *Pro.* 15

E F

ANIMA.

Recordare Domine, quomodo Nabuchodonoſor rex Babyloniæ, de filiis Iſraël ſibi pueros eligi iuſſerit, in quibus nulla eſſet macula; decoros formâ, & eruditos omni ſapientiâ, cautos

Dan. 1.

ſcientiâ,& doctos diſciplinâ: & qui poſſent ſtare in palatio Regis. Et factum eſt ita. Ecce, Domine,in conſpectu tuo ſtamus,& cupimus placere tibi, ac tandem in regali tuo palatio vultui tuo ſuperbenedicto aſſiſtere: ſed cùm cæli non ſint
Iob 15. 25. & 4. mundi in conſpectu tuo, & ſtellæ non ſint mundæ coram te, & luna quoque non ſplendeat, & in angelis etiam repereris prauitatem: quomodo in tuo conſpectu contaminatiſſimi pleniſque macularum conſiſtemus? Et quis poteſt dicere; Mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato? A longè itaque, & de profundis clamandum eſt nobis; quòd ſumus immundi, & ſicut pannus menſtruatæ iuſtitiæ noſtræ. Quid conſilij, Domine; & quò vertemus nos?
Iſa. 1. Audio, clamas nobis, per tuum Prophetam: G Lauamini,& mundi eſtote. Ac per alium: Laua
Ier. 4. à malitiâ cor tuum, Ieruſalem; vt ſalua fias. Salua eſſe deſidero, tu noſti, Domine, deſidero ſalua eſſe. Sed,ab immundo quid mundabitur? Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es? Ergo, qui ſalui eſſe deſideramus, ad te nos conuertimus, ne pereamus.

DESIDERIVS.

Non audis, ô anima, Dilectum loquentem in auribus noſtris; ſordiumque noſtrarum miſertum, præſentiſſimum monſtrantem purgandis remedium? Si cum leproſis clamauimus ad eum; audiamus quoque cum leproſis reſponſum: vna enim eademque vtrorumque eſt cauſa & ratio poſtulati. Dicimus igitur, & leuantes cum illis vocem noſtram clamamus à longè:

longè: IESV præceptor, miserere nostri. Dicit autem IESVS & illis & nobis: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. O factum benè! Domine, quis similis tibi, in cęlo & in terrâ? Nabuchodonosor ille, pueros sine maculâ quæri, & ex multis eligi mandabat; quia ipse immundos nõ mundabat: tu verò non eligis mundos, sed mundos dum eligis facis: & de stercore erigens pauperem, in sublime regni solium collocas, vt sedeat cum principibus gloriæ tuæ. Ex peccatore facis iustum; & dum vis, dealbas æthiopem. Mittis ad sacerdotem mundandos à leprâ; & ipse euntes mundas in viâ. Nihil loqueris foris, & agis intus; tacet lingua, manus quiescit, & diuinus tuus nutus operatur mirabilia. Quis vmquam audiuit talia? Eamus igitur, ô soror dilecta, ad sacerdotem, & ostendamus ei nosipsos: conscientiæ nostræ maculas vniuersas eidem spe pleni detegamus, ac humiliter mundari postulemus. Noui siquidem Testamenti sacerdos, vt Christi vicarius ac minister, non solùm testandi ac declarandi mundos, verumetiam emundandi potitur facultate. *Luc. 17*

ANIMA.

Gratiæ tibi immortales, benignissime IESV, quòd dederis talem potestatem hominibus, pro hominibus: vt, non obstante, quòd ipsi se quoque peccatores agnoscere debent (qui enim dicit, se peccatum non habere, ipse se seducit, & veritas in eo non est) singulari tamen tuâ dispensatione & gratiâ, verè potestatem habent ligandi & soluendi, remittendi peccata & retinendi. *1. Ioan. 1.*

nendi. Adeò vt non priùs abs te ſoluantur in cælo, quàm in terris fuerint abſoluta ipſorum arbitrio. Magnum re verâ miraculum, & excellentis myſterij ſacramentum; vt & inuiſibilia & inſolubilia alioqui animorum vincula, inuiſibili prorſuſque diuinâ facultate, à viſibili homine diſſoluantur: & cæleſtis curiæ abſolutio à terreſtri dependeat tribunali! Meritò eapropter hoc tam ſublime beneficiũ, & ſuſpicimus, & veneramur; magnaque cum animi alacritate vſurpamus.

Quin igitur, quotquot cum ſorore Moyſis Mariâ lepram in nobis agnoſcere cogimur, ac multimodam noſtrorum actuum vt membrorum noſtrorum maculam SPECVLI noſtri ſpiritalis obſequio deprehendimus, illicò nos humiliamus, veniam poſtulamus, ad pedes ſacerdotis accidimus; & cum alterâ Mariâ (Magdalenâ nimirum) quaſi ad pedes capitis noſtri, Ieſu Chriſti, delictorum noſtrorum multorum remiſſionem, multùm diligendo, obtinere feſtinamus? Sic enim ſpeculando, fiet in nobis conſcientia noſtra, ex lebete phiala; ollæ noſtræ rubigo abſumetur: atque ex vaſe contumeliæ, in vas tranſlati gloriæ; ex ipsâ fauce tartari, redibimus ad vitæ ianuam. Hæc ſiquidem eſt, teſte Apoſtolo, voluntas Dei: ſanctificatio noſtra.

1. Theſ. 4.

DESIDERIVS.

Purgatâ autem iam maculis animâ, caue ne ingrata reperiare: ne indignitatis offensâ deterius tibi contingat. Meminiſſe te, haud dubito, illius paroemiæ: Sus lota, in volutabro luti: pa-

2. Pe. 2.

rabo-

rabolæque illius Euangelicæ, quâ nos Saluator noſter edocuit, quàm malè ſibi proſpiciat ille, qui ab immundo ſpiritu liberatus, domum quidem ſuam expurgat, ſcopiſque pœnitentiæ mundat; ſed vacuam relinquit, neque Spiritum ſanctum inhabitatorem habere curat. Inuenit, *Mat.* inquit Dominus, eam vacantem, ſcopis mun- 12
datam, & ornatam; & intrantes cum ipſo, quos ſeptem nequiores ſe ſpiritus immundos aſſumſerat, habitant illic: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Quid enim prodeſt lauiſſe; ſi, quod lotũ eſt, turpiùs iterũ defœdetur?

Nónne prudenter, & nõ ſine loquendi energiâ, ſponſa Cantici expoſtulaſſe, vel ſaltem importunam obiectionem viriliter repudiaſſe perhibetur, dicens: Laui pedes meos: quomodo *Cant. 5*
igitur, quâ gratiâ, quâ fronte, quâ de causâ, atque ad quid, iterùm coinquinabo illos? Fieríne poteſt vt tam inſipiens ſim? vt tam parum recogitem, quid honos meus, quid vtilitas, quid gratitudo, quid denique ſalutis neceſſitas, à me requirant? Illum, ô anima, potiùs leproſum, ex *Luc. 17*
decem electum & gratũ imitemur: qui, vt vidit, quòd mundatus eſſet, regreſſus eſt, cum magnâ voce magnificans Deũ: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Qui quantum ab ipſo Domino fuit laudatus, tametſi alienigena; tantum reliqui nouem, etiam tamen mundati, ſed ingrati, reprobati fuerunt.

Verùm, ô anima, Deo dilecta, licet mundo deſpecta; duo nobis adhuc, in rectâ iſtâ ad ſpeculum propriæ vilitatis mundatione, ſunt obſeruanda, ne neſciamus. Primum eſt, vt diligenter ad verba illa Domini noſtri attẽdamus,

quibus

quibus Petro dicebat, nobisque dictum putare
Ioã.13. debemus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Idque seriò nobis considerandum admoneo; ne, dum nos lotos & planè mũdatos existimamus, pedes adhuc restent lauandi, & ignoremus. Credo equidem, illum, qui mundus est totus, indigere adhuc vt pedes lauet; hoc est, vt fonte baptismi mundatus, vel etiam salutari Sacramento Pœnitentiæ repurgatus, totusque mundus effectus, ab omnibus peccatorum maculis absolutus, hoc adhuc illi superfit, vt pedes, id est affectus atque animi motus & passiones, quibus quasi pedibus ad illicita ferretur, expurget: sic enim illi necesse est, (à quo similitudo desumta perhibetur) qui vel in balneo vel in flumine se totum lauit; dum enim nudus ex aquis egreditur pedibus, ad vestimenta sua reuersus, non habet quod lauet, nisi pedes, quos in illo egressu, tametsi tantùm aliquot passuum, potuit maculasse: quo, vt minima commaculatio, vel etiam præsens commaculationis periculum & suspicio, ita etiam leuissima ablutio vel purgatio significatur.

Alterum erat, quod nobis cordi esse debere subindicabam: vt studiosè videlicet illud Domini documentum obseruemus, quod vehementi cum interminatione Pharisæis inculcabat, dum diceret: Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. Pharisæe cæce, munda priùs quod intus est calicis & paropsidis; vt fiat id quod deforis est, mundum. Nam, quid proderit
Mat. 23.

rit nobis, ô anima mea, si deforis instar sepulchri dealbati, imò inaurati, resplenduerimus; & intus simus pleni ossibus mortuorum, scatente vermibus conscientiâ?

ANIMA.

Mihi prorsus animo sedent, ô mi frater fidissime; quæ modò recensuisti; & ita hauddubiè facto est opus. Verùm, insuper omnino necessarium arbitror, vt ministros huiusmodi expurgationis animorum, sacerdotes nimirum, magno in honore habeamus; vt ne per eorumdem contemtum, iustâ Dei vindictâ in maiorem mentium fœditatem incidamus.

Audiui siquidem simile aliquando corporaliter accidisse, quod nobis spiritaliter foret timendum. Dum nempe olim S. Iacobus Nisibensis, anachoreta, iuxta fontem transiret, vbi mulieres pannos lineos lauabant; easque ob impudentem lasciuumque in eum intuitum & risum increparet, nec tamen absisterent ioco; quòd & fontem & illas cælesti vltione mulctarit: adeò, vt & fons illicò exaresceret, & ipse rugosæ, deformes, & tetræ in vultibus apparerent. Ciues quidem pro vtilitate communi, fontis scaturiginem ab eodem Sancto impetrarunt; ipsæ verò, quæ humiliare se dedignarentur, ita deformatæ manserunt. Quantò autem grauior foret animorum quàm corporum deformatio! Itaque puritatem amemus, & omnimodis conseruemus: atque sanctificationis huius administros reuereamur.

VIII.

Quot rerum ſpecies; SPECVLIS tot, Conditor vnus
Cernitur: vtendo gratus vt eſſe velis.

A.B.C. *Inuiſibilium per viſibilia contemplatio.*

D. *Scala, ad arcana cæli per creata rimandum.*

E. *S. Bernardus inter arbores diuina contemplans.*

F. *Iob, quaſi per ſcalam, operum Dei conſideratione quouſque profecerit.*

G. *Mulier fortis conſiderat agrum cæleſtem, quem comparet.*

H. *Reſpicite lilia agri, et volueres cæli.*

VIII. SPECVLVM CREATVRARVM.

DESIDERIVS.

DOMINE, ecce nos iterùm, quęrentes te, & cupientes videre faciem tuam; atque inuenire gratiam in oculis tuis. Scriptum eſt enim: Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam. Miſericordiam quidem ſperamus, ſed veritatem & iuſtitiam timemus. Tu autem Domine, miſerere noſtri, ſecundùm magnitudinem miſericordiæ tuæ, ac ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum; & miſericordia & veritas obuiabunt ſibi, & iuſtitia & pax ſe mutuò oſculabuntur. Tunc, & miſericordias tuas in æternum cantabimus, & coram iuſtitiâ & veritate tuâ te prædem ac ſponſorem flagitabimus; quoniam teſte toto mundo & angelis, SPONSVS SANGVINVM tu nobis effectus es. Itaque in lumine vultus tui ambulabimus, ſpe pleni; & in nomine tuo, quod eſt ſaluificum, exultabimus: & in tuâ iuſtitiâ, ſequeſtrâ miſericordiâ, exaltabuntur omnia bona DESIDERIA noſtra: vt te aliquando fruamur in æternâ ſecuritate.

ſ. 88.

Pſ. 84.

Exo. 4. & Heb. 7.

ANIMA.

Accedimus, Domine, vt nouo iterùm modo, ſaltem quaſi per tranſennam, ſed tamen propiùs, tuam bonitatem, ſapientiam potentiámque rimemur, atque in omnibus illuſtretur cor noſtrum lumine tuæ gratiæ: tibique adaptetur per puritatem ac ſimplicitatem, ſine quibus nemo tibi vmquam complacuit.

Sed, ô mi fide comes & frater, quidnam hoc

est? Non sine causâ hucusque per omnia SPE-
Esther 15. CVLA, velut illa Esther per omnia seriatim ostia, trementes ac pauidi, demissisque in terram luminibus, venimus, cum humilitate dilectum quærentes. Nam ecce, ecce inquam: videor mihi nũc cum eâdem Regem videre, sed eminus tamen, residentem super solium regni sui, indutum vestibus regiis, auroque fulgentem, & pretiosis lapidibus, plenum maiestate in adspectu. Ah, sentio: in pallorem colore mutato, ac viribus destituta, sensim, mi dilecte germane, in terram collabor.

DESIDERIVS.

Quid habes, ô anima mea? Confortare & esto robusta. Ipse est Dominus Deus tuus, qui creauit te, & pater tuus, qui elegit te: redemptor tuus, qui saluauit & possedit te. Quis est qui
Rom. 8. condemnet? CHRISTVS IESVS, qui & mortuus est, & resurrexit, & interpellat pro nobis. Quid igitur times? An ipse minus dicet ac faciet tibi, in hac infirmitate tuâ, quàm Rex ille Assuerus Reginæ Esther? qui, cùm ex semetipso ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, conuerso per Dei nutum spiritu ipsius in mansuetudinem, festinus ac metuens exiluit de solio; & sustentans eam vlnis suis, donec rediret ad se,
Esther 15. his verbis compellans blandiebatur: QVID HABES ESTHER? Ego sum frater tuus: noli timere. Dominus autem noster, cuius natura bonitas; cui & proprium, misereri; non indiget, à quoquam ad propitiationem eiusmodi erga tremẽtes se, permoueri: quemadmodũ illi Regi irato necesse fuit, à Domino interiùs mitigari.
Ps. 102 Itaque, benedic anima mea Domino: & noli obli-

obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordiâ, & miſerationibus. Qui replet in bonis DESIDERIVM tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Iam ſiquidem contemplati ſumus maculas noſtras in SPECVLO, & eiuſdem obſequio, Domini gratiâ donante, deterſimus: nunc verò ad alius generis ſpeculi conſiderationem venimus, cuius ope ac miniſterio, mirabilia & magnalia Domini noſtri, atque adeò ipſummet Dominum in operibus eius contemplari licebit. Euge, ô anima!

ANIMA.

O! ſi oculi noſtri ritè perfecteque purgati forent, & cor noſtrum cæleſti lumine irradiatum, ſenſuſque noſtri inſtar cryſtalli pellucidi, & recti vt oculi columbarum! Maior mihi aſſurgeret animus, ad vlteriora procedendi, ſperandique potiora, in incœptâ noſtrâ DESIDERABILIVM ſpeculatione. Nunc verò, quæ conuentio luci ad tenebras? Tenebroſa eſt namque omnis aqua in nubibus aëris, prę fulgore in conſpectu eius, qui lux eſt incomprehenſibilis & indeficiens. Inuenerimus, viderimus, agnouerimus, & vtcumque etiam diluerimus, præteritorum ſpeculorum cõſilio & auxilio, maculas, rugas, nævos, defectus, deformitatesq; noſtras: quid hoc totum inter tot & tantos, ad appropinquandum luci æternæ; atque illi, in quo tenebræ non ſunt vllæ: imò cuius tenebræ ſicut lumen eius? Numquid cognoſcentur in tantis *Pſ. 17.*

tenebris noſtris mirabilia eius, noſque per illa illuminabimur? hæc me difficultas ſollicitã tenet.

DESIDERIVS.

Marc. 10. Animęquior eſto, ô anima, delicata filia Sion! Ecce enim vocat nos. Per quem, inquiris? Per fidelem prophetam Dauid, virum ſecundùm cor ſuum. Non audis eum, præconis inſtar, nos *Pſ.* 33. aduocantem? Accedite, & illuminamini: & facies veſtrę non confundentur. Non patiemur repulſam, tametſi millies promeriti ſimus: quia ipſe Dominus eſt nobiſcum, & amat nos. Neque deſpiciet orationem pauperum, neque oculos ad ipſum anhelantium exſpectare faciet.

Ecce, ô dilecta! ſerenior aura cordi noſtro cœpit affulgere: oculi mentis hilareſcunt: præſentia diuini numinis, quaſi per cæli pateſcentis rimam patefieri nobis incipit; & ſecretus Dei theſaurus, deſiderantibus bonum, aperiri. *Pſ.* 103 Eia, benedic, iterùm dico, anima mea Domino; & dicito mecum: Domine Deus meus: magnificatus es vehementer. Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine, ſicut veſtimento. Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine! Omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tuâ. Obſecro Domine, qui quando vis, facis in tenebris lumen ſplendeſcere; atque inſuper, illuminas omnem hominem venientem ad te; illumina oculos tuos ſuper nos, & de ineffabili tuâ claritate participemus: vt in ſpeculo hoc creaturarum tuarum, operumque tuorum mirabilium, te ſummè mirabilem, optimum, ſapientiſſimum, potentiſſimumque cognoſca-

noſcamus, amemus, colamus, vt te tandem in æternum fruamur. Hic eſt enim huius contentionis ſcopus.

ANIMA.

Noua lux mihi oriri viſa eſt, ô dilecte ſodalis, quæ peculiaris beneuolentiæ Dei erga nos argumento eſſe poteſt. Quapropter agedum, tu ſpeculum præſens ob oculos pone, atque in eodem, quodcumque in creaturarum conſideratione eſt ſingulare, deſigna: noſque coniunctis animis oculiſque illa contemplemur.

DESIDERIVS.

Faciam: nam hoc ordo progreſſuſque ſpeculorum requirit. In primis, hoc in communi proponendum eſt nobis, quod dicit Apoſtolus; *Rom. 1*
A quodque naturam & artificium huius ſpeculi
B manifeſtat. Inuiſibilia, inquit, ipſius, à creatura
C mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sanè, inquit ad hæc verba Bernardus,
D hac ſcalâ ciues non indigent, ſed exules. Et verè, quid opus eſt ſcalis, tenenti iam ſolium? Rectè id quidem, ô ſancte Dei admirande! Sed quoniam nos exules ſumus, vt non ignorabas: hinc ſcalam iſtam libenter & gratanter amplectimur, neque exiguum ipſius beneficium arbitramur. Si enim hæc viſibilium conſideratio, ſcala eſt, ad inuiſibilia videnda, quantúmque licet intelligenda: felices profectò ex hac parte exules filij Euæ dicendi ſumus; quòd hac ſcalâ, durante hac peregrinatione atque exilio lacrymabili, vti liceat.

Hinc, tametſi verè, doctè, ac piè (vt omnia) ad Eugenium Papam, ô vir Dei, hæc in verba

ſcripſiſti : Toties peregrinatur conſideratio noſtra, quoties ab illis rebus (æternis, cæleſtibus, & diuinis) ad iſta deflectitur inferiora & viſibilia; ſiue intuenda ad notitiam, ſiue appetenda ad vſum, ſiue pro officio diſponenda vel actitanda: gaudemus tamen & gratias agimus benigniſſimo Domino, quòd in noſtrâ hac ab ipſo & illis cæleſtibus peregrinatione, viſibilium operâ, ad guſtum & adſpectum quemdam æternorum poſſimus pertingere. Idque felicitatis (ô ſancte & ſpeculator mirifice) te & intellexiſſe & magnifeciſſe abundè teſtatus es; dum tuis illis præcedentibus dictis ſubiunxiſti, ad eumdem Pontificem de Conſideratione ſcribens, hanc ſententiam, te verè digniſſimam: Si tamen verſatur in his (exul videlicet, & à patriâ cæleſti peregrinus) vt per hæc viſibilia & creata, illa inuiſibilia & æterna requirat; haud procul exulat. Sic conſiderare, ſic ſpeculari, ſic contemplari, repatriare eſt. Et addis, quod propoſito noſtro huic directè ſubſeruit: Sublimior iſte præſentium ac dignior vſus rerum, cùm iuxta ſapientiam Pauli, Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Nam, tametſi ſublimior eſt illa cæleſtis viſio, quâ videtur Verbum, & in Verbo facta per Verbum; quod optimum eſt videndi genus, nullius indigens ad omne quod noſſe lubuerit: tamen, quamdiu ab ipſo abſumus; & vbi ſumus vallis eſt, & vallis lacrymarum, in quâ ſenſualitas regnat, & cõſideratio exulat; magnæ eſt felicitatis ac prærogatiuæ, ad tam optabilem ſpeculationem creaturis vt mediis vti. Et felix, ſecundùm tempus, viator; qui ciuium beneficium, ſine quo

tranſ-

transire non potest, in obsequium conuertere potuit; vtens non fruens, vrgens non petens, exactor non supplex: qui, tametsi vt aduena indigenæ ope indiget, felix tamen ex eâ parte, qui hunc sibi gradum ad illa inuisibilia philosophando constituit.

ANIMA.

E Sed, nónne ipse quoque diuus Bernardus, prę cipuum in studio pietatis sacrarumque litterarum progressum, inter meditandum & speculandum feciſſe perhibetur? Vnde etiam arbores & caudices sè pro codicibus ac præceptoribus habuisse (nisi fallor) ipsemet testatur: dum inter illas, & in aperto cælo, cælestia ac terrena considerans, & verba sacræ Scripturæ ruminans, per meditationem & speculationem, quasi per vber de cælo plenum, sensum genuinum veramque pietatem, vt latentem succum, exsuxit.

DESIDERIVS.

Ita res habet: quod & aliis Sanctis accidisse
F compertum est. Vnde quoque prophetam Iob, à Deo singulariter illustratum, tam claram Dei notitiam rerumque cælestium cognitionem habuisse arbitramur; nisi, quemadmodum ipsemet testatur, ex consideratione operum Dei, quasi quorumdam vestigiorum, quibus ipse, Deo duce, insisteret? Sic enim ipse profitetur: Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius cu- *Iob 23.*
stodiui, & non declinaui ex eâ. Infudit ei Deus interiùs lumen suum, & exteriùs ei proposuit signa visibilia, velut quædam vestigia sua, sen-

sibiles videlicet creaturas : in quibus , iuxta D. Thomæ sententiam , sicut in quodam libro, Dei cognitio legeretur. Cui quoque philosophandi speculandique modo , ac per terrena cælestia contemplandi, illud quadrat,quod di-
Rom. 2 cit Apostolus : Gentes,quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.

Iuxta quod & diuus Augustinus egregiè differit: Furtum, Domine, punit lex tua, & lex scripta in cordibus hominum. Hisque concor-
Sap. 13 dat illud Sapiētis : A magnitudine enim speciei & creaturæ , cognoscibiliter poterit creator horum videri . Atque ideò, quando dicebat Apostolus,gentilibus inuisibilia Dei,per ea quæ facta sunt,intellecta cognosci ; satis & rem cognitam, & modum istius cognitionis innuebat,
Rom. 1 dum sic adiungeret : Quod notum est Dei, manifestum est illis . Sed vnde hoc? Deus, inquit, illis manifestauit . Quo pacto? Inuisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Quid ampliùs ? Nihil: quia verè nihil ampliùs in re ipsâ , sed benè in modo videndi & intelligendi, restabat.

Sed,quęrat aliquis quæ via naturalis & ordo, per visibilia ad inuisibilium cognitionem pertingendi? Deus quidem illis largitus est, vt & nobis largitur : sed quænam est illa ratio speculandi,& per SPECVLVM CREATVRARVM CREATOREM videndi, hoc est, ad veram eius notitiam perueniendi. In primis, admirari, fecit philosophari ; atque admiranda Dei opera intueri, fecit causas eorum inuestigare;

iuxta

iuxta illud Poëtæ:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas. 2.Geor.

Et, tametſi rerum multarum, motuumque, ac mutationum cauſas ſecundas, ingenij ſui naturalis acumine inueſtigando potuerint aſſequi; tamen, non ſiſtendum ſibi adhuc in illis rati, dum vlteriùs quærentes rimantur originem, ad primam omnium cauſam, qui Deus eſt ipſe, peruenerunt. Quia omnia elementa, & ſol, & luna, & ſtellæ, & quæcumque creata; potiſſimùm ſtupenda illa atque admiranda, vt ſunt cæli cum motibus ſuis, terræque mundique totius machina; vno quaſi ore conclamant: Nos non fecimus nos; ſed Deus eſt qui fecit nos. Adeò, vt eiuſmodi conſideratis, Deum eſſe perſpexerint: licet numquam eò pertingere potuerint, vt intelligerent (quod homini omnino ignotum eſt in hac vitâ) quid ſit Deus. Vnde, auctore Tullio, rogatus Simonides poëta à tyranno Hierone, quis aut qualis eſſet Deus; deliberandi causâ diem ſibi poſtulauit. Illo elapſo, biduum petiit: cumque ſæpiùs duplicaret numerum, rogauit Hiero, cur id faceret: Quia, inquit, quantò diutiùs conſidero, tantò mihi res fit obſcurior.

Videntes itaque Philoſophi, naturalium cauſarum ſcrutatores, res quidem admirandas, ſed tamẽ defectui obnoxias atq; mutabiles; neceſſariũ crediderunt, reducere eas ad aliquod principium immutabile & perfectum: vnde factum eſt, vt cognoſcerent quidem, vt diximus, Deum eſſe; ſed eſſe ipſius, aſſequi nequiuerunt. Dum itaque cauſam illam primam, excellentem, & ſuper omnia creata eminentem, conſpexe-

runt: ita omnia ista sensibilia excedere iudicarunt, vt nihil eorum, quæ sunt in creaturis, ei possit competere; quemadmodum ex libro sancti Dionysij, de diuinis nominibus, dilucidè D. Thomas ostendit. Sicque eâdem operâ ac viâ gentiles ad virtutis Dei, de quâ agit Apostolus, agnitionem deducti sunt: secundùm quam virtutem res ab eo procedunt, sicut à suo principio quamque ipsi Philosophi perpetuam esse cognouerunt. Vnde etiam dicit idem Apostolus; Sempiterna quoque virtus eius, scilicet per creata, conspicitur.

Tertium verò, tali ipsorum per creaturas speculatione, in Deo per ipsos cognitum, teste eodem Apostolo, est ipsius diuinitas. Non, quòd essentiam eius (vt antè iam diximus) homini in hac vitâ imperceptibilem, cognouerint: ideò non dicit, Deitatem eis fuisse per creaturas reuelatam, sed Diuinitatem. Quia cognouerunt Deum sicut vltimum finem, in quem omnia tendunt. Diuinum enim bonum, dicitur bonum commune, quod ab omnibus participatur. Propterea Apostolus potiùs dixit diuinitatem, quæ participationem significat; quàm deitatem, quæ significat essentiam Dei; prout diserris verbis D. Thomas distinguit.

Per CREATVRAS itaque, ô anima, creator nobis manifestatur. Vnde Sapiens ait, quod
Sap. 13 suprà meminimus, cognoscibiliter creatorem omninm, per magnitudinem, speciem, motum, naturamque creaturarum videri posse. Idque non sensu vel imaginatione, quæ corporalia non transcendunt, sed intellectu, nam Deus spiritus est.

In

In SPECVLO autem CREATVRARVM, per sensum ad intellectum progredimur: atque ita per visibilia inuisibilia speculamur. Ideò namque, præter humanæ necessitatis obsequium atque vsum, Deus tam multa condidit bona, tamque admiranda; vt ex illis in sui notitiam homines raperentur, cognitum amarent, amato adhærerent, eiusque coniunctione plenè & perfectè beati fierent. Quanta ecce rerum creatarum vtilitas!

ANIMA.

Delectant hæc quidem, mi frater, supra modum mentem humanam: sed nimiùm me terret illorum sapientum sententia, quam illos promeritos testatur Apostolus: quando ista subnectit: Quòd, cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se sapientes esse, stulti facti sunt: ita vt sint inexcusabiles. Quem non percellat tam horrendum iudicium? *Rom. 1.*

DESIDERIVS.

Monet quidem nos istud, ô anima, & modo quodam etiam terret; vt nempe exemplo eorum edocti, caueamus altum sapere, nobisque confidere; sed, vt datis à Deo cognitionis & salutis mediis, tamquam eximiis donis, & gratissimus, & ritè vtamur. Verùm nihil est, quod illorum intuitu animum quisquam despondeat; vel nos hoc SPECVLO CREATVRARVM diligenter vti desinamus: cùm hunc in finem

finem nobis à diuinâ bonitate, singulari quodam ac salutari beneficio, sit concessum.

Sequamur potiùs, ô soror amabilis, diuini Doctoris Augustini consilium, sic SPECVLVM istud exhibentis & explanantis: Creatorem videmus per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum. Vita enim sapiens, quæ fecit mundum, contemplato mundo intelligitur. Interroga mundum, ornatum cæli, fulgorem dispositionemque siderum, solem dies efficientem, lunam noctis solatium: interroga terram fructificantem, herbis, & lignis, & animalibus plenam, hominibus exornatam: interroga mare quantis natatilibus plenum est: interroga aërem quantis volatilibus viget: interroga omnia; & vide, si non specie suâ, tamquam voce, tibi respondent: Deus nos fecit. Hæc quidem illi Philosophi nobiles quæsierunt; & ex arte artificem cognouerunt: sed (ô cor sapientum insipiens!) ingrati illi ipsi qui eis præstitit vt viderent; sibi voluerunt tribuere, quod videbant: & facti superbi, amiserunt & id quod videbant, & conuersi sunt inde ad idola & simulacra, & ad culturas dæmoniorum; adorare CREATVRAM, & contemnere CREATOREM.

Ser. 55. de ver. Dom.

Nos autem non sic, ô anima mea, non sic. Sed, præterquam quòd illi, teste quoque Cicerone, ex operibus magnificis atque præclaris, cùm ipsum mundum, cùm eius membra, cælum, terras, maria, cumque eorum insignia, solem, lunam, stellasque vidissent; cumque temporum maturitates, mutationes, vicissitudinesque cognouissent; suspicati sunt, aliquam esse excel-

Li. 1. de Nat. Deor.

excellentem præstantemque naturam, quæ hoc feciſſet, moueret, regeret, gubernaret.

Nos, ô anima, inſuper ipſius erga nos bonitatem, ſapientiam, & potentiam admiremur, amemus, timeamus, atque intimo quodam affectus vinculo ei adhæreamus: ipſum vereamur offendere, ipſi placere ſtudeamus, ipſius magis ac magis beneficiis locupletari; tandémque ipſummet ſine vllo medio in æternâ illâ beatitudine contemplari.

ANIMA.

Placet conſilium, atque eapropter confeſtim tali pacto, cum muliere illâ forti, agrum regni cæleſtis in terris conſideremus: &, quia pignus æternæ eſt hereditatis, venditis omnibus, atque adeò nobiſmetipſis, illum emamus. G *Prou. 31.*

Tali modo, per idem hoc SPECVLVM, conſilio Domini noſtri, cuius vultum requirimus, conſideremus lilia agri, & volucres cæli; & omnia quæ oculis hiſce corporeis obiiciuntur. Dumque in illorum varietate, multitudine, artificio, paruitate, magnitudine, vtilitate, efficaciâ & pulchritudine, omnibus ſummè admirandis, hæremus; neque vel hoc intelligere valemus, quomodo idem terræ humor per hunc ſtipitem in amarum, per illum in dulcem ſuccum commutetur: in floribus idem per eumdem culmum, & folia herbæ ipſius viridia, & florum folicula tam variis coloribus depingat: Factoris nos ſapientiæ gubernandos totaliter committamus: feliceſque nos arbitremur, eíque ſummè obligatos; quòd, humiliter de nobis ſentientes, à tam infinitâ ſapientiâ gubernemur. H *Mat. 6.*

IX.



Quid fugias, quid ames, sacra cùm tibi pagina monstrat;
De cælo lapsi quàm SPECVLI instar habet!

A.B. *Specvlvm biblicvm.*
C. *Deus creans solem. Fiat lvx.*
D. *Moyses legem accipit. Lex lvx.*
E. *Solis et legis affinitas.*
F. *Ecclesiastes, et verbi diuini præco.*

G.H.I. *Ad poenitentiam, ac pia opera, vi verbi conuersi.*
1.2.3.4.5. *Verbi diuini virtus, et in corda piorum operatio.* Fol. 124.

IX. SPECVLVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

DESIDERIVS.

QVî tibi nunc animo ſedet, ô dilecta, SPECVLI modò præteriti contemplatio; cuius obſequio, per rerum creatarum conſiderationem, ad cæleſtium & inuiſibilium inſpectionem magno gradu viciniores euaſimus?

ANIMA.

Mirificè me illius adſpectu atque vſu ſentio recreatam & corroboratam: adeò vt defectione illâ ſpiritus prorſus ſedatâ; reſtauratam me ac priſtinis imò integrioribus viribus ſentiam reſtitutam; atque ad cæleſtia tali arte meditanda multùm adiutam. Nam, ſic mecum cogito; Si diuo Thomæ Aquinati, regali menſæ accumbenti, & Reginæ pulchritudinem fixè contemplanti, in animũ venit, ſecum expendere, quàm pulchra debuerit eſſe, ſitque modò in cælis, Regina cælorum DEIPARA VIRGO, mulier illa ſpectabilis, in cælo pro magno ſigno oſtenſa, ſole amicta, ſub pedibus lunam habens, & in capite coronam ſtellarum duodecim: quare non etiam liceat nobis, quotidiano quaſi diurnoque compendio, ex creaturarum adſpectu, huiuſmodi quæſtum facere? *Apo. 12*

Nam, quandocumque, difficultate aliquâ occurrente, opus erit ambigentẽ minuſque fidentem animum erigere ac ſuffulcire: quare

non

non nobis facillimum planeque obuium sit, ex creaturarum consideratione, vel ad Dei bonitatem in pusillanimitatis angustiis, vel ad eius sapientiam in defectu consilij, vel etiam ad eius potentiam in infirmitatis metu, recurrere; rebusque vel deploratissimis sumtum ex hac locuplete apothecâ remedium adhibere? nónne ita deficientis animi vires, aromatum, florum, herbarúmve odore, vel gustu, restauramus? quid enim mortali cuipiam metuendum, ambigendum, desperandum; siue in temporalis vitæ præsidiis, siue in salutis negotio, diffidendum aut anxiè formidandum; cùm Dominus Deus, in cuius manu sunt omnia, & ipsius amicus sit, vt nihil ei velit, quàm quod est bonum & salutare; & sapiens, qui optimè norit, quid illi expediat; & potens, qui quod facto opus iudicat, etiam possit? Hæc enim in omnibus propemodum creaturis ob oculos nobis quotidie statuuntur: in quorum naturâ, motu, varietate, virtute, ac gubernatione, tamquam in libris ac diario legimus.

DESIDERIVS.

Gaudeo plurimùm, ô mea soror, & te per ista corroboratam, & tam accurratè rem ipsam apprehendisse. Eapropter quoque Dominus Deus tam grauiter populo suo est interminatus, ob neglectam operũ suorum animaduersionem.
Isa. 5. Sic enim ait per prophetam suum Isaiam: Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus: propterea

ptereà dilatauit infernus animam ſuam,& aperuit os ſuum abſque vllo termino. Atque eiuſmodi eſt ferè communis mortalium fluxus: vt nihil aut minimum ad Dei mirabilia & magnalia attendentes, ſibi tantùm ſuiſque vel commodis vel voluptatibus intendant: idque iuxta illud Iob prophetæ, cum antedicto Prophetæ ſermone ad amuſſim conſentientis: Tenent tympanum, & citharam; & gaudét ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos: & in puncto ad inferna deſcendunt. *Iob 21.*

Nos autem,ô anima,benedicamus Domino; & ſpeculum illud mirabilium Dei, per quod ipſe nobis in ſuis creatis tranſparet, quamdiu quidem à reali ipſius viſione peregrinamur, numquam ab oculis mentis noſtræ corporeiſve amoueamus. Verùm,cum prophetâ Dei Moyſe,& cum Regio prophetâ, cumque tribus pueris in fornace, cantemus Domino, & omnia opera ad benedicendum ei prouocemus, & quaſi claſſico dato concitemus. Quinimò, ſingulari quodam mentis affectu, ad trium iam dictorum imitationem, per omnium creaturarum ordines diſcurramus; maioremque ſemper Domini factoriſque omnium laudem ac gloriam, maioremque ſalutis noſtræ profectum, tum ipſarum auxilio atque exemplo, tum alia earumdem conſideratione, elicere ſtudeamus. *Cant. Moyſi. Pſ. 103. Dan. 3.*

ANIMA.

Meritò hauddubiè nos ipſos,& ad creatarum rerum ſpeculationem, & ad gratiarum actionem omnium conditori præſtandam, prouo-

cemus, & excitemus: nam opinor, non obscurè hominum tarditatem & tepórem in tam salutari atque æquissimo laudis & gratitudinis munere, subnotari atque indicari (quod & Sancti quidam obseruarũt) per hoc nimirum, quòd tres illi viri in fornace Babylonicâ, postquam ab angelis, cælis, sole, & lunâ, & stellis incipientes, omnia ita deinceps inferiora ad benedicendum Domino prouocarunt; non nisi postremo loco, ad homines excitandos in Dei laudem, deuenerint: argumento magnæ nostræ acediæ, ingratitudinis, & neglectus Dei ipsius, operumq; eius; atque adeò etiam (heu) salutis propriæ: quamquam non me lateat alia ordinis ratio.

DESIDERIVS.

Nihil aberras à scopo, mihi soror charissima, dum ex Cantici illius ordine & serie talem tamque piam tecum facis considerationem. Nam & hoc quidem vtcumque ad speculi præcedentis, de quo agebamus, naturam atque conditionem pertinet: ex omnibus videlicet, quæ sensibus hisce sunt obuia, boni quippiam elicere.

Nunc autem illustrius SPECVLVM obtutui nostro offertur; quod nempe diuinis SACRÆ SCRIPTVRÆ codicibus eloquiisque continetur, planè admirãdum. Ac, quemadmodum præcedentis instinctu, per cælum & sidera, per campos & prata, iisque contenta & connata, vagati sumus; artificem omnium in opere suo requirentes, inuenientes, contemplantes: ita modò longè sublimius nobiliusque nacti speculum, per eius ductum, eximiæ magis, magisque A

diuinæ

diuinæ ſpeculationis conſortes reddemur. Ibi enim, præter omnia alia, quæ præcedētis ſpeculi miniſterio ob oculos conſtituta fuêre, ipſi omnium factori viciniùs appropinquantes; & illuſtriùs illum intuebimur, & os ad os audiemus loquentem. Nam verbum Dei, quomodo non Deum ipſum, ſi aures accommodes, præſentem annuntiat? Itaque, bono animo eſto, ô dilecta dilecti tui percupida: atque vide, ne ad illius eloquium contremiſcas; ſed humiliter ac lætabunda obaudi.

ANIMA.

Dabo operam, mi dilecte frater, vt tuis obtemperem monitis; quia monita ſalutis eſſe percipio. Verùm, priuſquam ſpeculum iſtud explicemus expandamuſque; ediſſere quæſo, quomodo duo TESTAMENTA, quibus ſacram Scripturam conſtare didicimus, vnicum ambo efficiant, vt inquis, SPECVLVM. De veritate quidem rei nil ambigo; ſed modum exploro.

DESIDERIVS.

Dabo operam, vt petitioni tuæ fiat ſatis: atque paucis expediam, tu animum aduerte.
B Quemadmodum ambo Teſtamenta vnum Bibliorum volumen efficiunt; ita prorſus, ô anima, etiam ſpeculum vnum eſſe, quid impedit? Sique ad artificialia ſpecula, ſimilitudinem hanc, cum morali etiam aliquo documento, referri deſideras; ita accipe. Quemadmodum ſpeculum omnium primum (quod Praxiteles, Plinio teſte, magni Pōpeij ætate primus feciſſe

perhibetur) ex albo plumbo, vt vocant, ſtanno nimirum, conſtabat; & poſteà ad argentea ventum eſt: ita prior ſacræ Scripturæ pagina, veteris Teſtamenti & pondus & obſcuritatem, inſtar plumbei ſpeculi, referebat; altera verò, noui inquam Inſtrumenti pagina, & pretium & claritatem, inſtar argentei ſpeculi, nobis repræſentat: vt ſimul coniunctæ quaſi vnum binarum tabularum efficiant ſpeculum; quemadmodum etiam duæ tabulæ Moyſis vnam legem.

Sed nunc ad eiuſdem SPECVLI SACRÆ SCRIPTVRÆ explanationem veniamus. Diuus Gregorius, & huiuſmodi nomenclaturam, & ſpeculi huius vſum, dilucidè nobis hoc modo confirmat, adornatque, & quaſi ob oculos ponit. SCRIPTVRA SACRA, inquit, mentis oculis quaſi quoddam SPECVLVM opponitu: vt interna noſtra facies in ipsâ videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus: ibi ſentimus, quantum proficimus; ibi, à profectu quàm longè diſtamus.

Gre. 2. Moral. cap. 1.

Hunc in modum & diuus Auguſtinus librum ſuũ quemdam, SPECVLVM nominauit: de quo Poſſidonius in ipſius Vitâ hanc in ſententiam ſcribit: Qui prodeſſe omnibus volens, & volentibus multa librorum legere, & non valentibus; ex vtroque diuino Teſtamento, veteri & nouo, præmiſſâ præfatione, Præcepta diuina, ſeu Vetita, ad VITÆ REGVLAM pertinentia, excerpſit; atque ex his vnum codicem fecit: vt, qui vellet, legeret; atque in eo, vel quàm obediens Deo inobedienſque eſſet, agnoſceret. Et hoc opus voluit SPECVLVM appellare; vt ipſe-

Poſſid. in vitâ Aug.

met

met Augustinus inquit : Hunc librum SPECVLVM appello . In quo , sub vtriusque Testamenti compendio , duarum (vt suprà meminimus) tabularum speculum vnicum efformauit.

Sed audiamus ipsummet istiusmodi speculi artificem,& auctorem illiùs libri, disertè loquétem . Vt,inquit, qui iam credens , Deo obedire voluerit, hic se inspiciat,quantum in bonis moribus operibusque profecerit ; & quantum sibi desit, attendat . Sic enim potest, & de his quæ habet,gratias agere; & de his quæ non habet,vt habeat satis agere : ac propter illa seruanda, curam precesque fidelis pietatis adhibere. Ita Doctor ille eximius Augustinus de suo illo libro speculari. *Augusti*

Quo fine S. Bernardus quoque breuem tractatulum , SPECVLVM MONACHORVM appellauit: cuius initio rationem eiusmodi tituli tradit: Si quis, inquit , emendatioris vitæ DESIDERIO tactus,cogitationum,locutionum , operumque suorum sollicitus EXPLORATOR , vniuersos excessus suos corrigere nititur; in præsentis paginæ frequenti lectione,& assiduâ meditatione (tamquam in SPECVLO) interioris hominis sui faciem contempletur.

Eodem instinctu animi , vir quidam nostri temporis doctus & pius librum conscripsit, De vitâ & honestate Canonicorum , omniumque Ecclesiasticorum , quem eâ de causâ quoque se SPECVLVM appellare fatetur : vt in illo clerici tamquam in speculo se contueri & contemplari possint;& videre,num vitam vocationi & ordini suo conuenientem atque conformen *Ioan. Longicrucius*

ducant: sin minùs, hinc discant, quid illis faciendum, quídve vitandum sit. His enim rebus, quæ tractantur in vitâ, modum quemdam adhibentes & ordinem, (vt Cicero inquit) HONESTATEM ET DECVS CONSERVABIMVS.

Hisce itaque atque aliis auctoribus, dum eiusmodi sua opera SPECVLI nomine nuncuparunt, fit ratio manifestior firmiorque, cur meritò maiorique iure, sacræ Scripturæ volumen sălutaris Speculi titulo à nobis insigniatur.

Sed operæ pretium facturos nos arbitror, si primarias necessariasque boni speculi conditiones in præsenti BIBLICO SPECVLO considerauerimus: Nónne, ô anima mea, DESIDERABILIVM speculatrix effecta, purum in primis & immaculatum speculum esse debet? obscuras alioqui atque indistinctas imperfectasque imaPſ 118. gines repræsentaret. Ita lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele. Sed nónne etiam limpidum lucidúmque sit speculum, est necessarium? nihil enim alioqui vel admittet vel exhibebit. Sic quoque Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Planum sit etiam speculum oportet, ac planè æquor: quale & mare ob eam causam vocatur: Hexaë. quia, vt inquit Ambrosius, cùm sit altitudo (hoc est profunditas) diuersa; indiscreta est tamen dorsi eius æqualitas: vnde & æquoris nomen obtinuit. Nónne sic de nostro hoc speculo Scripturarum testatur Psalmista? Omnia mandata tua ÆQVITAS. Item; ÆQVITAS testimonia tua in æternum.

Sed

Sed nónne & ſolidum eſſe debet ſpeculum? Planè; alioqui tranſmitteret ſpecies, nullaſque redderet inſpectanti. Ita quoque ſpeculum Scripturarum & verbi diuini: teſte ipſamet ſacrâ Scripturâ: Cælum & terra tranſibunt: verbum autem Domini manet in æternum. Vtque dicit Sapiens; Vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo. Quo, velut clypeo, munitum Prophetam ſic Dominus animauit: Omnis domus Iſraël attritâ fronte eſt, duro corde. Sed, ecce, dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum; & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem & ſilicem dedi faciem tuam: ne timeas eos. Sic itaque ſunt principales ac neceſſariæ ſpeculi boni dotes in ſacræ Scripturæ ſpeculo eminenter. *Eccli.* 50. *Eze* 3.

ANIMA.

Meritò re verâ, his ita ſe habentibus, cum Pſalmiſtâ dicere poſſumus: Beati immaculati in viâ, qui ambulant in LEGE DOMINI. Beati, qui ſcrutantur TESTIMONIA eius: in toto corde exquirunt eum. Item: Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte: & in hoc diuinarũ Scripturarum ſpeculo ſine intermiſſione contemplatur. In ipſo namque, & cælũ, & terra, & mare, & quæ in eis ſunt; atque adeò per hæc omnia, inuiſibilis quoque theſaurus habitaculi cæleſtis, clarè, tametſi non plenè & perfectè, reſplendent. Nónne, mi frater, exiſtimare debemus, nobis in hoc bipatenti SCRIPTVRÆ SPECVLO longè præſtantiora, pretioſiora, plura, maiora, rarioraque, ſpeculanda exhiberi, quàm Rex Ezechias Babyloniis oſtendit; quando *Pſ.* 118.

do illis & domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis, inspicienda exhibuit; & non fuit, quod non monstraret eis in domo suâ, & in omni potestate suâ: adeò, vt vel curiosissimè cuncta perscrutantibus paterent omnia.

DESIDERIVS.

Omnino vt dicis, ô dilecta! Atque propterea præcipuas hîc aliquot huius speculi dignitates, si gratum tibi futurum est, intuebimur.

ANIMA.

Gratissimum; nam ipsius amodò commendatio vehementer me inflammauit. Sentio nimirum, istud nostræ intentioni compendiosissimam fore rationem.

DESIDERIVS.

In primis, (nota mysterium) quando verbo
Gen. 1. Domini cæli creati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: tunc excelsum istud atque sublime speculum, ipsumque adeò oculum mundi solem videlicet, tali Deus mandato formauit: FIAT LVX. & quando vicissim in
Exo. 24 monte Sinai Moysi legem dedit; ignitum, lucidum, & planè coruscans hoc SACRÆ SCRIPTVRÆ SPECVLVM, quasi in suo ortu fundauit: vt, tamquam de altero sole, de hoc ipso locutus sit Sapiens, dicens: MAN-
Prou. 6 DATVM lucerna est, & LEX LVX. Vnde rectè

Psal.

Psalmista, à quo Salomon filius eius didicerat, inquit: Lucerna pedibus meis, VERBVM TVVM, & lumen semitis meis. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. *Ps. 118.*

An verò, ô anima mea, & opulentiam præstantiamque speculi præsentis audire desideras? Audi. Bonum mihi LEX ORIS TVI, super millia auri & argenti. ideò dilexi MANDATA TVA, super aurum & topazion. At, dulcedinem fortassis & amœnitatem ipsius, non minori ardore nosse cupis: accipe. Quàm dulcia faucibus meis ELOQVIA TVA! super mel ori meo. Item: Iudicia tua iucunda: iudicia Domini vera; desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

Sed, quanta existimas, ô soror dilecta, est speculi huius nostri potentia, quanta vis, retributio quanta suis speculatoribus? O altitudo sapiẽtiæ, & scientiæ, & immensæ virtutis Dei, speculi huius auctoris, & datoris! O admirabile supra captum humani intellectus SPECVLVM VERBI DEI! quod ex seruis in ipso se ritè contemplantibus efficit liberos: ex peccatoribus iustos: ex filiis iræ atque gehennæ, filios Dei: si filios; & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. *Rom. 6.*

ANIMA.

FO, quàm nobis cauendum, mi germane compar, ne præ nostrâ negligentiâ, cum oscitantibus supinisque illis VERBI DIVINI lectoribus & au-

ditoribus connumeremur, quos Iacobus Apostolus cũ obliuiosis SPECVLATORIBVS, non sine pudoris punctura, redarguit; dum omnes sic admonet: Estote factores VERBI; & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Quis siquidem vmquam ita desipiat, vt volens videnſque seipsum decipiat? Quia, inquit, si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit; & statim oblitus est, qualis fuerit. Ecce, & SPECVLO hîc comparatur DEI VERBVM; & rectus eiusdem vsus manifestè docetur, & neglectus improbatur. *Iac. 1.*

Quàm iustâ de causâ autem hæc fiat comparatio, ex reipsâ atque vsu liquet. Nam quemadmodum iustus & timoratus puræque mentis homo, in verbo Dei, tamquam in speculo, seipsum contemplans, conscientiæ suæ faciem cum illo conuenire considerat: ita peccator videt maculas animæ suæ, quas immaculatum ei speculum prodit, eumque redarguit. Sed quãdo quis obiter tantùm, ac perfunctoriè se in Dei verbo, vel audito, vel lecto, intuetur, atque abit; ab illo recedens, statim obliuiscitur eorum quæ in hoc speculo notauerat esse emẽdanda: atque ita non solùm immundus, & coram Deo deformis manens, seipsum fallit; verumetiam multò magis, quando vitâ functus, pro cælo infernum consequitur.

Ideoque non sine causâ idem Apostolus, speculi huius tam salutarem commendans vsum, sic inquit: Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in eâ, non auditor G

obli-

obliuioſus factus, ſed factor operis : hic beatus in facto ſuo erit. Et quidem artificialis ſpeculi vſus, cum vſu ſpeculi legis diuinæ, commune hoc habet, quòd ſic inſpici debet ac ſi perſpiceretur; quaſi penetrando, teipſum ex aduerſo conſpicias, non autem tantummodò huius vel illius ſuperficiem oculis radas. Neque iſtud ab oculis mentis vmquam eſt amouendum; ſed nobis eſt in eius contemplatione permanendum. Iuxta illud Pſalmiſtæ: Da mihi intellectum; & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Item: Beatus vir, qui non abiit: ſed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditatur die ac nocte. Hic verè beatus in facto ſuo erit: dicetque confidenter, cum excellentiſſimo diuini huius
H ſpeculi contemplatore: Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis. Si namque erraui, in hoc ſpeculo vidi, & cogitaui vias meas: & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Si triſtatus ſum nimis, & ſpes mea aliquando vacillauit: memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo Domine, & conſolatus ſum: in hoc enim mihi ſpem dediſti: hæcque me conſolata eſt in humilitate meâ. Itaque verè, pax multa diligentibus LEGEM TVAM; & non eſt illis ſcandalum. *Pſ.* 118

DESIDERIVS.

Optimè tu quidem hæc omnia, ſoror mea: atque adeò diuinæ bonitati pro te gratias ago, quòd ita de LEGE SVA docuerit te, vt mirabilium eius SPECVLATRIX, & tam fida ſcrutatrix euaſeris. Itaque pergamus, coniunctiſque ſtudiis

ſtudiis & obtutibus SPECVLVM præſens tam ſanctum & efficax contemplemur. Nam verè
Pſ. 118 canebat Propheta Pſalmographus: Mirabilia teſtimonia tua Domine; ideò ſcrutata eſt ea anima mea. Scrutemur & nos, & exerceamur in mirabilibus eius; & ſpero, faciem ſuam illuminabit ſuper ſeruos ſuos. Tunc autem confitebimur ei in directione cordis: & tandem in iubilo eius delectabimur. Reuela tu autem, ô Domine, oculos noſtros: & conſiderabimus mirabilia de LEGE TVA. Veni, veni, ô anima mea, & cor noſtrum huic ſpeculo præſentemus: nam multiplex ex eo virtus emanat. In primis, quandoquidem cor noſtrum ſanari neceſſe eſt, non
Pro. 31 obliuiſcatur LEGIS DOMINI: & mandata eius cuſtodiat: vt ſit ſanitas vmbilico noſtro, & irrigatio oſſium noſtrorum. Tum verò, quia mundari quoque debet; applicemus illud ſacræ Scripturæ fluentis, & mundabitur. Scriptum
Pſ. 50. eſt enim: Cor mundum crea in me Deus. &
Ezec. 36 alibi: Mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.

Sed, ô Domine, quid mundari iuuabit, ſi non poſteà etiam amoris tui igne inflammetur? & hoc quidem ex ſpeculo. Ignitum enim ELO-
Pſ. 38. QVIVM TVVM vehementer. Benè habet. Concaluit cor meum intra me: & in meditatione meâ exardeſcit ignis. Rectè. Sed eia, dũ calet & candet cor, Domine, nónne & cudendum eſt? Rectũ enim eſſe oportet. Ergo, tunde, tunde; &
Pſ. 50. ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis: quia rectum iudicium tuum, & viæ tuæ rectæ, quia æquitas. Reſtat nunc Domine, vt cor rectum, ad te ſurſum eleuetur; ſuperatiſque omnibus

huius

huius mundi prauitatibus, cæleſtis gloriæ coronâ donetur: quæ ei repoſita eſt apud te. 2. Tim. 4.

Obſecro, Domine IESV, qui æterna es Patris ſapientia, Verbum, veritas, ſplendor, & figura ſubſtantiæ eius: da nobis gratiæ tuæ lumen, quo illuſtrati, SPECVLVM hoc SACRÆ SCRIPTVRÆ aſſiduè & cum guſtu meditando contemplemur: vt, quemadmodum manna omnium deſiderabilium guſtum filiis Iſrael exhibebat; ita illæ mihi inſtar mannæ ſpiritalis, piis cordis Sap. 16 mei DESIDERIIS & neceſſitatibus faciant ſatis, tibiſque conſtanter adglutinent.

X. SPE-

Lucet, et inflammat, SPECVLVM exemplaris honesti;
Virtutem alterius si cupis esse tuam.

A. *Speculum exemplare.*
B.C. *Duo luminaria magna, Iesus et Maria; vt sol et luna.*
D.E. *Exemplaria virtutum contemplantes.*
F. *S. Franciscus dans pauperi tunicam, exemplo ouis.*
G. *Sanctus Martinus simili exemplo Christum in nudo vestiens.*
H. *Elephas ad sanguinis mori et vuæ conspectum inflammatur ad bellum.*
I.K. *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.*

X. SPECVLVM EXEMPLARE.

DESIDERIVS.

RATES diuinæ tuæ clementiæ immortales agimus, benigniſſime Domine, quòd nobis noſtroque vſui tam ſalutare SPECVLVM S. SCRIPTVRÆ, quod iamiam tractauimus, ſis elargitus. Quis enim laudes eius enumeret & valorem? Nam, iuxta aurei illius oris ſententiam, cùm inter mille ſæcularium ſermonum talenta, vix centum denarios ſpiritualium poſſis inuenire verborum: imò ne decem quidem obolos: in Scripturis ſacris, ignorans inuenit quod diſcat: contumax, quod timeat: laborans, præmia: puſillanimis, mediocris iuſtitiæ cibos; qui, etſi pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt: qui autem magni animi eſt, inuenit ibi ſpirituales eſcas, quæ perducunt eum propè ad angelorum naturam: qui verò eſt vulneratus à diabolo, inuenit ibi cibos medicinales, & ſalutem per pœnitentiam. Et, quemadmodum ſublimis ille ſpeculi Biblici contemplator Hieronymus inquit; Si, iuxta Apoſtolum Paulum, Chriſtus Dei virtus eſt, & Dei ſapientia: qui neſcit Scripturas, neſcit Dei virtutem, eiuſque ſapientiam. Ignorantia Scripturarum, ignorantia Chriſti eſt. Cumque tu Domine in illis voluntatem tuam & intima cogitationum tuarum arcana, totumque teipſum nobis, vt in ſpeculo, demonſtraris; quid proderit illi qui cetera cuncta perſpecta habuerit, te autem ſolum ignorarit?

Chryſ. ſuper Matth.

Hieron

Quo-

Quocircà, ô anima mea, sæpiùs illas legamus & relegamus, imò numquam de manibus nostris sacra lectio deponatur: vt assiduè in hoc speculo Dei voluntatem contemplemur; nósque semper ad eam conformare studeamus: Donec ipse, qui aperit sensum ad illas intelligendas, & cor nostrum ardens facit in viâ, dum nobis sic aperit Scripturas; aliquando rem ipsam nobis aperiat, ostendat & donet in patriâ, totoscque nos cælesti amore inflammet.

ANIMA.

Ita tecum, mi frater, per omnia sentio, voloque: sique aliquando ad contemplandum illum vultum nostri Salomonis (quod intendimus) peruenire est animus; planè nobis, vt dixisti, facto est opus.

At, nónne dolendum summopere, diuinum hoc sacri voluminis speculum, tam impiè ac sacrilegè à quibusdam pessimæ sortis hominibus, hæreticis inquam, commaculari ac depraui? Quàm simile est istud ei, quod de artificialium speculorum corruptione quidam scribunt? Putat siquidem Plinius, hominum dentibus quoddam inesse virus; quo speculi nitorem, ex aduerso nudati, hebetent. At ego quidem de liuore ac virulentiâ dentium hæreticorum plus damni SCRIPTVRÆ SACRÆ SPECVLO inferri existimo; idque esse certius. Hebescit maculaturque speculi nitor, mulieris inspectu, cui eant menses: repentè namque velut sanguinis prætenditur nubecula. vtque aliqui arbitrantur, à lippitudine quoque oculorum: dum scilicet ex concauitatibus,

tibus, oculis vicinis, & effusione mixtis spiritibus contagiosis, noxiæ labes in speculi leuorem exuberant. Quidquid id est: Hæretici saltem, quantum in se est, SACRORVM BIBLIORVM illustre SPECVLVM, ex virulentiâ animi, oris, dentium liuidorum, atque oculorum suorum, indignis modis inficiunt, sicque deprauatum obtrudunt simplicibus, vt sincerum. dumque, tam quoad fidem, quàm quoad mores, distortas in eo species contemplantur: necesse est, nisi tempori sapiant, sibique caueant, in varios opinionum errores incidere; circa fidem naufragari, atque à morum rectitudine in vias prauas & inuia declinare.

DESIDERIVS.

Rectè dicis, ô soror, & vnica dilecta mea: sed agendæ gratiæ Deo, quòd in primo suo nitore & candore SPECVLVM hoc SACRÆ SCRIPTVRÆ in Ecclesiâ Catholicâ possidemus. hoc itaque vtamur, vt diximus, & de manibus nostris non recedat; quia tamquam PANIS VITÆ est nobis. *Eccli.* 15.

Sed nunc, ad aliud, admirandum, excellens, & efficax SPECVLVM procedamus; quod ita præcedenti est consentaneum, vt quamplurimis etiam locis eidem insertum reperiatur. Est autem hoc EXEMPLARE: cuius adminiculo, virtutum vniuersarum factorumque insignium exempla nobis ob oculos statuuntur: quibus sacram Scripturam abundare qui nescit, Scripturam ipsam ignoret oportet. Et quidem non solùm in eâ, quæ facienda sunt nobis, verumetiam quæ fugienda, edocemur. A

ANIMA.

Dubium non est, quin excellens & efficax sit hoc SPECVLVM EXEMPLORVM, vt cœpisti differere: sed priusquam illud expandamus, dic obsecro: Quænam tibi videtur esse ratio, cur res visibilis in tantâ profunditate speculi artificialis apparet, quanta est eiusdem rei à speculo distantia: atque rationem illlam exempları huic speculo applica, si quo modo potes: nam, quantum quidem mihi videtur, in hac speculatione aliquid latet, quod ad moralem considerationem non incongruè reduci queat.

DESIDERIVS.

Optimè moueris & moues, ô anima; sed non tam obuia est respõsio, quàm res in se certa est, de qua quæris. Certum est siquidem (quod ipsa docet experientia) te à speculo retrocedente, ipsam quoque tuam faciem, in speculo apparentem, videri tantumdem introrsum recedere: teque iterùm accedente, accedere: atque adeò in retrocedendo minui, augeri verò in accessu. Non occurrit autem istius speculationis in præsens vero similior ratio, quàm, quòd, quemadmodum quæ ab oculo nostro remotiora fiunt, minora apparent; ita quoque, quò remotior est facies nostra à speculo, tamquam ab oculo, eò quoque in speculo minor apparet: & econtrà maior, quò vicinior. Nam hîc, & speculi & oculi, eadem est ratio perspectiuæ: distantia enim, rei obiectæ imminuit species, vicinitas auget.

Et

Et quis ignorat, quin ita eò maiori contemtu digna sint omnia ista inferiora, mundana, ac terrena; quò è cælo despecta minora apparent? Tota namque terra, cum omni suo auro (vt Seneca loquitur) & gloriâ, vix punctum apparet: & econtrà maior, quò vicinior est. Cominus autem visa, quia magna videtur; à suis amatoribus magni fit. Eodem planè modo, si nos ipsos eminus intueremur (remoti scilicet ab omni proprio & carnali affectu, atque amore sensuali) parui atque humiles essemus in oculis nostris: nunc verò quando nos è vicino conspicimus, oculis cum affectu contiguis, in proprio adspectu nobis ipsi grandescimus. Quapropter, quemadmodum cælo renati, cælestemque in terris conuersationem meditantes, imò quodammodò in cælis versantes, terram terrenáq; vniuersa despicere ac paruifacere debemus: ita nos ipsi supra nos & genere & studio sublimati, in propriis oculis, quasi ab alto despecti, contemtibiles quoque esse debemus. Ad hoc porrò nos admodum mirificè adiuuat SPECVLVM istud EXEMPLARE. Nam, quantò magis eximiam excellentemque sanctorum vitam suspicimus, tantò magis apud nos ipsos vilescimus.

B Huic autem præsenti speculationi non tantùm viam munit, sed quodammodò statuit fundamentum, imitatio Christi; ab ipsomet nobis tanto cum affectu commendata. Quam D. Leo, non minùs doctè quàm eleganter, vt omnia, hisce verbis nobis ob oculos ponit: Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium; inueniemus, ho- *Ser. 1. de Iein.*

minem idcò ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset auctoris: & hanc esse nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam SPECVLO, diuinitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos vtique reparat gratia Saluatoris: dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: & vt in nobis formam suæ bonitatis inueniat, dat, vt ipsi quoque quod operatur operemur.

Quàm autem, ô anima mea, singulare sit hoc speculum, quoad Domini nostri, Saluatoris, ac sponsi nostri, imitationem; ac planè, vt ita dicam, alterius mundi inuentum, procul & de vltimis finibus adportatum; ex Sancti cuiusdam dictis, sic accipe: SPECVLVM, inquit, præclarissimum, omni carens imperfectionis maculâ, omniqúe deformitate virtutis, Christi vita fuisse dignoscitur. Atque idem alibi: Est namque VITA Domini IESV, liber vitæ, EXEMPLAR VERVM, PERFECTIONIS SPECVLVM, forma rectè viuendi, perlucida via, religionis magisterium, cunctarumqúe norma virtutum.

Laur. Iust. in Fascic. amoris cap. 2. Lib. de humil. cap. 21.

At vide (te obsecro) quàm hisce dictis mirificè congruit pia D. Bernardi speculatio: Siquidem, inquit, cum nomino IESVM; hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemqúe ipsum Deum omnipotentem: qui suo me & EXEMPLO sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant,

Bern. Ser. 15. in Cãt.

cùm

cùm insonuerit IESVS. Sumo itaque EXEMPLA de homine,& auxilium à potente. Ita Sanctus ille, verè mellifluus.

Hoc tibi ecce SPECVLVM habes,ô anima mea,in dilecti tui nomenclaturâ, virtutum omnium EXEMPLA nobis repræsentante. Sit illud tibi semper in sinu, semper in manu, semper in oculis: quò tui omnes in IESVM & sensus dirigantur & actus. Habes hîc namque, vt actus tuos vel prauos corrigas, vel minùs perfectos adimpleas; & in rectis ac bonis augearis. Itemque,vnde sensus tuos,aut serues ne corrumpantur, aut corruptos restaures.

Sed quomodo clariùs hoc SPECVLVM EXEMPLARE, in eodem Domino nostro, mundi luce, sole iustitiæ, ac Patris luminum splendore, resplendeat, quàm dum ipsemet, nos ad se contemplandum atque imitandum inuitans, sic inquit: EXEMPLVM dedi vobis; vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis? *Ioã. 13*

Desideras autem, ô anima, EXEMPLI huius & SPECVLI primarium nosse fundamentum, atque adeò opus totum? audias, videas, apprehendas: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Mitis in tolerandis aliorum defectibus & iniuriis: & humilis in præstando cunctis obsequio. Quid enim aliud sonat, Discite à me; quàm, Attendite quomodo agam & imitamini? Quid? inquit D. Augustinus, non mundum fabricare, non in ipso mundo mirabilia facere; sed, quia mitis sum, & humilis corde. Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere *Matth. 11.* *Aug. Ser. 10. de ver. Dom.*

celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilis. Et quantò quisque vult superimponere maius ædificium, tanto altius fodiat fundamentum. Quò autem peruenturum est cacumen nostri ædificij? Vsque ad conspectum Dei.

ANIMA.

O mi dilecte, nónne hoc est quod quærimus, vt conspectu Dei aliquando in cælis fruamur? Nónne hanc ob causam diuersa SPECVLORVM genera perscrutamur, vt aliquando veri ipsius SPECVLATORES efficiamur? Omnino. Itaque huic speculo incumbamus, quo dilectus noster suam nobis vitam, vt regulam eò felicitatis pertingendi, proponit. Credo equidem idipsum & Moysi olim indicasse, cùm ipsi & EXEMPLAR tabernaculi conficiendi, visibiliter intuendum exhibuit, & seriis insuper verbis admonuit: Vide vt omnia facias, secundùm EXEMPLAR, quod tibi in monte monstratum est. Discendum igitur sedulò à nostro Saluatore; vt SPECVLI tam salutaris inspectores, ipsi quantum licet, reddamur conformes. Hac enim prærogatiuâ pollet hoc SPECVLVM in virtute prototypi, vt suos contemplatores sibi faciat similes.

Exo. 25

DESIDERIVS.

Vtinam, ô mea soror, ita quoque inter tot librorum ac voluminum millia, qui de virtutibus, humilitate præsertim, scribunt, vel vnicus saltem libellus inueniatur, qui veram humilitatem lectori suo conferat. Sed Dominus noster, liber hic vitæ est, intus & foris descriptus: qui docet, tamquam auctoritatem dandi quod docet

cet solus habens. Et hic ipse est præsens speculum exemplare, quod ex deformibus pulchros facit; & viuos ex mortuis.

C Alterum admirabile opus excelsi, ac SPECVLVM EXEMPLARE virtutum, est beatissima Virgo, CHRISTI Domini nostri mater MARIA. Sic enim per speculi typum depingit eam Ambrosius: In MARIA velut in SPECVLO, refulget *Lib. 2. de Virgin.* species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis EXEMPLA viuendi; vbi tamquam in EXEMPLARI magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Talis fuit MARIA, vt eius vnius vita, omnium disciplina sit.

Vt autem omnimodam virtutum speciem in præclaro hoc SPECVLO contemplemur; rectiùs facturi sumus, si Doctoris eiusdem eleganti radio designata legamus: sic habet: Vt de ceteris eius virtutibus taceam; Virgo erat, non solùm corpore, sed etiam mente: corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior; non in cumulo diuitiarum, sed in prece pauperum, spem reponens: intenta operi, verecunda sermone; arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere; nullum lædere, omnibus benè velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiã fugere, rationem sequi & amare. Quando ista fastidiuit humilẽ? quando risit debilem? quando vitauit inopem? Nihil in oculis toruũ, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Talem hanc Euangelista monstrauit,

talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit.

Quot & quantæ in vnâ Virgine SPECIES VIRTVTVM emicant! vt eapropter non immeritò illam sancta Ecclesia illustri illo Filij Dei eiusdemque Virginis Vnigeniti titulo cohonestet; SPECVLVM SINE MACVLA nuncupando. Nam, præterquam quòd omni hominum generi in vniuersâ virtutum SPECIE, EXEMPLO fuit & SPECVLO: etiam ipsamet nullâ vmquam peccati labe fuit respersa. Vt hac quoque de causâ, quemadmodum Filius
Gen. 1. eius IESVS, Dominus noster, in eiusdem Ecclesiæ firmamento LVMINARE MAIVS exstitit: ita ipsa Dei mater MARIA, rectè LVMINARE MINVS perhibeatur. Christus sol, Maria luna: duo luminaria magna: instar speculorum, toti mundo lucentia; atque in suis Speculatoribus virtutes magnas operantia.

ANIMA.

Paulatim me sentio magis ac magis DESIDERIO æternorum ad superna quærenda inflammari; & præillorum amore plusquam vmquam terrena despicere. Credo equidem, vim quamdam interiùs in cor nostrum immitti SPECVLORVM tam diuinorum virtute & efficaciâ. Domine Deus, creator & recreator meus; nisi multùm me mea fallat opinio; iam cuperem dissolui, & esse tecum. Nam, si tantopere me specula ista virtutum inspecta afficiunt: quid futurum arbitrabimur, si virtutum coronâ & gloriâ, cum iisdem & omnibus Sanctis tuis, frui concesseris?

DESI-

DESIDERIVS.

Quônam quæso abriperis,ô dilecta,ambitiosa cæleſtium honorum & opum? Non ſic,quòd ſcias,itur ad aſtra,vitæ huius viâ neglectâ. Seriò priùs cogita, de Sanctorum vitâ in viâ; vt illorum ſecuta veſtigia, cum iiſdem læteris in patriâ. VESTIGIA autem Sanctorum, EXEMPLA virtutum ſunt. quæ vt in dilecto tuo, eiúſque matre MARIA, velut in SPECVLO, docti ſumus contemplari: ita in Sanctorum EXEMPLA ſpectandum eſt; quæ ipſi quoque à Saluatoris luce accepta, nobis etiam imitanda reliquerunt. Nam vt rectè Hieronymus; Ab omni nequitiâ mundum neceſſe eſt eſſe & vitio,qui cupit regnare cum Chriſto. Si vis habere partem cum Chriſto, Chriſti exemplo tibi viuendum eſt. Si Sanctorum cupis habere conſortium, à malitiæ & nequitiæ cogitatu pectus emunda: quia non niſi ſanctos, & iuſtos, ſimplices, innocentes & puros, cæleſtis aula ſuſcipiet. *In quadam epiſt.*

Itaque SANCTORVM EXEMPLA, tamquam in SPECVLO nobis obiecta contemplemur, & imitemur; vt cum Sanctis coronemur. Alioqui, vt verè & ſeuerè Chryſoſtomus, quæ eſt iſta iuſtitia, Sanctos colere, & ſanctitatem contemnere? Primus gradus eſt, ſanctitatem diligere; poſteà Sanctos: quia, non ſancti ante ſanctitatem fuerunt; ſed ſanctitas ante eos. Sine causâ ergo iuſtos honorat, qui iuſtitiam ſpernit. *Sup. 24 c. Mat.*

D Atque idem alibi: Qui Sanctorum merita religiosâ charitate miratur, quicumque iuſtorum E glorias frequenti laude colloquitur, eorum mo- *Ser. de Confeſ.*

res sanctos atque iustitiam imitetur. Quoniam, quem delectat alicuius Sancti meritum; delectare debet par, circa cultum Dei, obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat; aut laudare non debet, si imitari detrectat: vt, qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. E

Hinc meritò Theodora Theophili Imperatoris iconomachi vxor Catholica, clàm à Denderе Imperatoris mimo & parasito reperta quòd Sanctorum imagunculas haberet, & ob id à marito probrosè correpta atque idolorum cultrix appellata; furorem Imperatoris deliniens, SPECVLA esse dixit, in quibus faciem ipsius & ancillarũ Denderis conspicatus, imagines esse existimauit: & ita verum dicens, & Imperatoris elusit scrutinium, & Denderis delationem. *Ioan. Curopalata.*

Tam verò efficax est huiusmodi EXEMPLARIS SPECVLI contemplatio, vt sanctus quoque ipsius inspectu sanctior efficiatur. Hinc; vt inquit D. Gregorius, Consideratio meliorum, multum prodest ad humilitatem Sanctorum; atque ita ad certum & indubitatum in sanctitate profectum. Vnde, cùm sancto Antonio reuelatus à Deo fuit, & antiquitate prior, & potior sanctimoniâ, Paulus; magnum sanctioris philosophiæ ac sublimioris viæ incrementum percepit, ex tam raro vitæ cælestis in terris SPECVLO. *31. Moral.*

Idem hoc speculum exemplare magnam vim habet, ad Gentiles quoque Christo lucrifaciendos; teste Apostolo Petro, cùm sic ait: Charissimi, obsecro vos abstinere à carnalibus desideriis, conuersationem vestram inter Gen- *1. Pet. 2*

tes

tes habentes bonam ; vt ex bonis operibus vos CONSIDERANTES, glorificent Deum (per conuersionem nimirum ad ipsum, & vitam sanctam) in die visitationis.

Huc etiam illud spectat, quod Poëta, EXEMPLORVM energiam tam in malo quàm in bono considerans, inquit:

Segniùs irritant animos immissa per aurem:
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. *Horat. arte Poët.*

Vnde rectè D. Gregorius : Qui plenissimè, inquit, intelligere appetit qualis est; tales nimirum debet conspicere qualis non est : vt ex bonorum FORMA metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est. *Gre. 24 Moral. cap. 9.*

Eapropter non minùs facetè quàm patheticè D. Augustinus Continentiam per modum prosopopœiæ secum expostulantem, exemplóque aliorum conuincentem, introducit: quæ ipsi quasi iuxta adstãtes Sanctos & Sanctas, eiusdem cõditionis, imò tenerioris complexionis, ostendit ; qui tamen omnes tyrannide carnis edomitâ castè se gesserant : sicque illum excipiebat : Ecce, hi omnes vixerunt pudicè, seque pro regno Dei castrarunt ; & tu non poteris? Deus illis concessit ; & tibi negabit ? & similia plura in illum sensum: quod illum vehementer permouit. *Cõfess. lib. 8. cap. 11.*

Quocircà etiam D. Paulus, vt viam compendiosam & commodam, magnæque efficaciæ, toties seipsum imitandum exhibuit ; dicens: Imitatores mei estote, sicut & ego IESV CHRISTI. Et, Obseruate qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram : secundùm regulam nostram : non in alienâ regulâ, inquit. *1. Cor. 4. & 11 Phil. 3. &c.*

quit. Et, quicumque hanc regulam noſtram ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia.

ANIMA.

Hanc imitationis ac practicæ ſpeculationis EXEMPLORVM induſtriam accuratè ſectemur, & diligenter obſeruemus: quandoquidem tam expeditum nobis iter hoc SPECVLVM demonſtret, & connitentes ad pacem illam æternam cæleſtis Ieruſalem adducat. Credo prorſus S. Franciſcum tali mente ſpeculatum F atque imitatum fuiſſe ouiculam, duas tunicas habentem, & alteram dum tonderetur dantem non habenti: atque S. Martinum EXEMPLARI hoc SPECVLO vſum, quando partem chlamydis nudo ſtipem poſtulanti porrexit. G Non dubium quoque quin & Martyres, bellatores egregij, ducis ſui Chriſti ſtrenui IMITATORES, fortes in bello effecti ſint, tum in primis Chriſti ſtrategi noſtri, vt dixi, tum aliorum Sanctorum prædeceſſorum EXEMPLO: quemadmodum tempore Machabæorum ele- H
1. Machab. 6. phantes, ſanguine vuæ & mori conſpecto, in prœlium acui conſueuerunt. Sic enim & inſignioris familiæ nobiles præclara ſuorum facinora depicta habere ſolent; quæ ipſos ſuoſque filios ac nepotes, ad eadem imitanda prouocarent.

Sic de Frederico Principe legimus; quoties faciem ſuam in SPECVLO contemplaretur, nullo amiſſi luminis deſiderio affici ſolitum: ſed læto ac ſereno vultu, dixiſſe: Bono animo ſis Frederice, teque ipſum manifeſtè adſpice, ac virtutis tuæ continuè memineris.

Item:

Item: Dij boni! quos ego vel virtutis vel formæ ſocios habeo; Philippos, Horatios, Hannibales, Sertorios! Expergiſcere, expergiſcere aliquando Frederice; & illos nõ modò vnius oculi lumine, ſed factis etiam ac rerum geſtarum gloriâ, æquiparare contende. Hæc ille, more maiorum. At nos multo magis Sanctorum exempla ad heroica facta debent permouere.

Da, obſecro Domine, munerum dator, hanc nobis gratiam, vt huius SPECVLI EXEMI PLORVM præſtantiâ aſſiduè delectemur. Vt K iuxta tuum conſilium, etiam SERPENTES in prudentiâ, & in ſimplicitate COLVMBAS imitantes, in vitæ ſanctitate tibi placeamus; & tandem purificatæ mentis intelligentiâ, conſpectum tuæ gloriæ conſequamur.

Qui fit, vt obscurâ certos sub imagine sensus
Hîc ÆNIGMATICVM mî generet SPECVLVM?

A.B: *Per parabolas et ænigmata, cælestia speculamur.*

C. *Christus in ænigmate, tamquam hortulanus, Magdalenæ apparuit.*

D: *Ita quasi in ænigmate, duobus discipulis visus est peregrinus.*

E. *Christi transfiguratio, quasi ænigma fuit.*

F.G. *Gaudium reuersi filij prodigi, gaudij angelorum ænigma.*

H.I. *Parabola virginum prudentum, gaudij beatorum ænigma.*

K.L. *Nuptiæ filij regis, conuiuij cælestis, Christo ministrante, ænigma dici possunt.*

XI. SPECVLVM ÆNIGMATICVM.

DESIDERIVS.

PVTASNE, ô anima mea, nos dignam aliquam, pro rei existimatione, in SPECVLO EXEMPLARI, assecutos portionem? Procul, ne nescias, absumus, à tam inexhausti maris profunditate. Nam, præter communem vitæ Sanctorum excellentiam, quæ nobis speculi loco proposita est; etiam peculiaris alicuius virtutis respectu, singulari quadam ratione SPECVLI titulo decorantur. Quis enim enumeret, satisve admiretur diuinæ sapientiæ ac bonitatis thesaurum: quo, sicut stellas innumeras reddidit, vtque stella à stellà claritate differret, effecit: ita in Sanctis, & multitudinem & splendoris diuersitatem fecit incomprehensam: & tot fixit in cælo SANCTORVM SPECVLA, quot fixit in firmamento splendentia sidera?

Quis siquidem satis admiretur effulgentem Abrahæ fidem, ob quam pater credentium est appellatus? Quis Isaac obedientiam, in Christo vsque ad mortem, mortem autem crucis, obediente adimpletam? Quis Iacob mansuetudinem, lethalem minacis Esau bilem vertentem in lacrymas? Quis Ioseph admirabilem castitatem, prudentiam, virtutem imperio dignam? Quis mitissimam Moysis animam, quâ Dei conspectu & alloquio dignus fuit? Quis inauditam bellacis Iosue confidentiam, quâ solem stare præcepit, suoque habuit obsequentem imperio? Quis Phinees zelum, quâ Deum pla-

placauit, & ceſſauit quaſſatio ? Quis Dauidis eximiam pietatem ; ob quam , teſte ipſomet Domino , vir ſecundùm cor Dei fuit inuentus & appellatus ? Quis Mathathiæ æmulationem legis, Iudę Machabæi ceterorumque virtutem in bello , & mortem non minùs glorioſam ? Quis Iob & Tobię tolerantiam, miſericordiam, atque inſignem in Deum amorem; ceterorúmque virorum præſtantium decora, inſtar SPECVLI reſplendeſcentis micantia?

Et, ne in ſexu femineo hanc quiſquam laudem deſiderari arbitretur: quis ſatis ſuſpiciat Saræ modeſtiam & reuerentiam coniugalem, virum ſuum , Dominum appellantis ? Quis Rebeccæ prudentiam , Rachelis induſtriam, Iudith caſtitatem, atque inde prognatam fortitudinem ac victoriam ? quis Eſther ſollicitudinem in gentis ſuæ ſalutem , aliarumque Heroinarum veteris Teſtamenti præſtantiam dignè recenſeat?

Iam autem, quemadmodum vetus illud noui Teſtamenti tantummodò vmbra fuit: ita & virorum & mulierum præclara ſpecimina iſtius, longo interuallo prioris EXEMPLA exſuperant. Quonam enim modo (vt iam Chriſtum eiuſq; Matrem, tamquam omni comparatione maiores , imò & Ioannem Baptiſtam , omittamus) cãdorem eximiæ caſtitatis, in noui Teſtamenti ſanctis vtriuſque ſexus virginibus dignè deſcribamus , aut admiremur ? Nónne ſpeculum immaculatum eſt etiam illud ? Quâ item facultate dicendi fortitudinem illam inuictam ſanctorum Martyrum aſſequamur ; quâ de mundo , diabolo, & carne, in ſexu quoque fragili

gili triumpharunt? Quis nobis explicet sanctorum Confessorum sinceram simplicitatem, sobrietatem, continentiam, modestiam, mentis rectitudinem, pietatis feruorem, & in fide Christianâ constantiam? Quis tot millium excellentem sanctimoniam vitæque prorsus angelicæ puritatem, vt par est, suspiciat; quâ toti mundo, & in viuis agentes, & nunc astra tenentes, tot BONI EXEMPLI SPECVLA de se statuerunt, quot in vitâ virtutum ornamentis abundarunt?

ANIMA.

O maiestatem eximiam nostri Saluatoris! qui pro suis moriens, tot mortuos viuificauit, & glorioſos victores ac triumphatores effecit, quot EXEMPLI ac spiritus sui imitatores & heredes reliquit. Verè, ô Domine, dicere possumus, ad laudem sanctissimi nominis tui, tuorumque tam strenuorum militum, dignum encomium, tot tamque præclara de se, à te, virtutum fortiumque gestorum præbentium specula; quod de fortibus illis Machabæis legimus: Refulsit sol in clypeos aureos; & resplenduerunt montes ab eis: & resplenduerunt sicut lampades ignis. Quando namque te Solem iustitiæ in terris secuti sunt, tuaque eos virtute induisti ab alto: fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum; nempe angelorum apostatarum, gentilium, & hæreticorum; tibi tuæque Ecclesiæ validi facti sunt protectores, ac fideles turris Dauidicæ propugnatores: de quâ, quot elucent in illis virtutum exempla, tot clypei aurei propendent ab illâ, omnis arma-

1 Ma. chab. 6.

Heb. 11

Cant. 4

tura fortium. Teque insuper diuinæ tuæ gratiæ fulgore in illos assiduè irradiante, resplenduerunt montes ab eis: quia multi magni Sancti, montium instar, virtutum exempla ab illis sumentes, etiam SPECVLORVM in modum effecti sunt reliquis. Et resplenduerunt tam isti quàm illi, quasi lampades ignis: quia exemplari suâ vitâ & sibi & aliis resplenduerunt, & incaluerunt, lucentes & ardentes: adeò, vt qui viderent opera ipsorum bona, glorificarent Patrem qui in cælis est.

DESIDERIVS.

Sit Deus benedictus in sæcula, & laudabilis nimis in SANCTIS suis, ô mea soror, SPECVLORVM amatrix, & DESIDERIORVM cælestium fautrix amabilis; quia verè videmus, totum mundum tot speculis quot Sanctorum exemplis exornatum. Sed nunc aliud adhuc speculi genus se nobis obtendit: quo, certâ quadam ratione speculandi, magis ad arcana quæ quærimus, rimando iuuabimur; si tamen illo ritè fuerimus vsi, fixumque illud, astrolabij more, tenuerimus: nam perspectiua hîc multùm valet.

ANIMA.

Quodnam est illud, ô mi fidelis vitæ huius comes & consors? Illud mihi nomina obsecro; virtutemque eius ac vsum, vt vales, edissere.

DESIDERIVS.

SPECVLVM istud ÆNIGMATICVM appellatur: eiusque fabricæ rationem, in dictis Apo-

Apoſtoli licet animaduertere; quando ſic inquit: Videmus nunc, per SPECVLVM IN ÆNIGMATE: tunc autem facie ad faciem. 1. Cor. 13.

B Tametſi autem duo & quidem diuerſa ſint, ſpeculum & ænigma (quia in ſpeculo ſimilitudo relucentis eſt clara & aperta, quemadmodum D. Thomas diſtinguit, in ænigmate verò obſcura & occulta) hîc tamen illa duo ita ſibi inuicem coaptamus & in vnum coniungimus, vt SPECVLVM ÆNIGMATICVM ſimul efficiant; quodque per illud ipſo vſu conſequimur, SPECVLATIONEM ac VISIONEM ÆNIGMATICAM appellemus. Cumque Apoſtolus dicit, *tunc*, hoc eſt, in patriâ cæleſti, nos viſuros facie ad faciem: ſignificat metaphoricâ locutione, nos viſuros ipſam Dei eſſentiam, quam iam ſolummodò per creaturas, ſimulacra, ſpeculum, perque ænigmata cognoſcimus. Sicut, quando aliquem in propriâ facie videmus; tunc videmus eum reipsâ ſicuti eſt, quem anteà ſolùm per ipſius ſimilitudinem in ſpeculo cernebamus.

Huic & illud affine eſt, quod ſubdit: Nunc cognoſco ex parte; id eſt, in hac vitâ cognoſco obſcurè & imperfectè: tunc autem, in cælis nimirum, cognoſcam ſicut & cognitus ſum, nempe à Deo. Quia, quemadmodum Deus modò eſſentiam meam, & quidem abſque vllo medio, cognoſcit: ita & ego tunc Deum per eſſentiam cognoſcam, neque mihi vllo opus erit intermedo, ad tam beatam ac claram ipſius viſionem.

Vnde valdè appoſitè diuus Bernardus, in hæc verba: Non ſapiens, non ſanctus, non prophe- Bern.

ta, videre illum ſicuti eſt, poteſt, aut potuit, in corpore hoc mortali: poterit autem in immortali, qui dignus habebitur. Itaque, videtur & hîc: ſed ſicut videtur & placet ipſi; & non ſicuti eſt. Nam neque hoc luminare magnum (ſolem iſtum loquor, quem quotidie vides) vidiſti tamen aliquando ſicuti eſt, ſed tantùm ſicut illuminat; verbi causâ, aërem, montem, parietem. Quòd autem Iacob, poſtquam cum angelo fuiſſet luctatus, inquit:
Gen. 32 Vidi Dominum facie ad faciem; & ſalua facta eſt anima mea: viſio illa non fuit niſi imaginaria, hoc eſt, per imaginem in angeli figurâ, ſeu potiùs hominis ſecum colluctantis, in quâ Deus ei apparebat: prout Scriptura loquitur: Vir luctabatur cum eo. Dumque tam magnificè Iacob de hac luctâ & viſione loquitur; Vidi Dominum facie ad faciem: excellentiam huius viſionis ſubindicat, non autem quòd illum per eſſentiam vidiſſet. Quocircà Ioannes quoque Apoſtolus, æternæ hanc vitæ ac patriæ viſionem reſeruans, inquit:
1. Ioan. 3 Scimus, quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt: ſicut nimirum ipſe Deus nos videt ſicuti ſumus, in ipſâ eſſentiâ.

Quod autem de SPECVLO ÆNIGMATICO cœpimus dicere: nónne, verbi gratiâ, qui nunc apparet quibus vult, & ſicuti vult, tunc autem videbitur ſicuti eſt; ille idem Dominus noſter Magdalenæ quaſi in SPECVLO
Ioan. 20. ÆNIGMATICO in horto iuxta monumentum apparuit, quando illa ſe putabat hortulanum videre? Nolebat videri, & volebat videri; C

&

& quidem videbatur, sed non agnoscebatur. Domine, inquit illa; & erat vtique: sed hortulanum, vt credebat, tamquam horti dominum de suo Domino interrogabat: Si tu sustulisti eum; dic vbi posueris eum. Sustulerat eum verè quando de monumento surrexerat, seque in hortum transtulerat, ibique posuerat & statuerat, vbi iam tunc erat: sed erat Magdalenæ totum hoc ænigmaticum; donec prolato Mariæ vocabulo, tactoque corde eius amore intrinsecùs, se agnosci volebat.

Nónne similiter in ÆNIGMATE duo-
D bus discipulis euntibus in Emmaus apparuit; *Luc. 24*
quando tamquam viatorem, externum, ac peregrinum viderunt foris, qui verè ipsis peregrinus erat intus? Neque ænigma illud ipsis solutum fuit, nisi quando illum in fractione panis agnouerunt: neque tunc tamen eum viderunt sicuti est, sed sicut in humanis apparuit illis, quibuscum fuerat conuersatus.

E Quin etiam ipsam eiusdem Domini transfi- *Matth.*
gurationem in monte Thabor per modum *17.*
SPECVLI ÆNIGMATICI accidisse, liceat aliquo modo interpretari. Nam tametsi ibi ipse verus Dei Filius, in gloriæ suæ maiestate apparuit: tamen ob SPECVLATORVM imbecillitatem, qui tantæ visionis capaces non erant, ÆNIGMA illis per speculum hoc, tametsi præfulgidum, fuit exhibitum. Vnde & ille Apostolus, quasi coniectans de rei latentis præstantiâ, dixit: Domine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula, &c.

ANIMA.

Ser. 31. super Cant. Rectè eapropter Bernardus ait : Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Studiosis siquidem mentibus Verbum sponsus frequenter apparet; & non sub vnâ specie. Quid ita? Profectò, quia nondum videtur sicuti est. Quò autem quis clarior, eò vicinior: & quò vicinior illi aliquis fit, eò magis illuminatur.

DESIDERIVS.

Accedamus igitur, ô anima, vt illuminemur: & illuminari rogemus, vt magis illi appropinquemus. Nónne ita & cæcus ille priùs videre poscebat; & posteà exultans Christum sequebatur? accedebat tamen, sed ab aliis ductus & adiutus, vt lumen acciperet. Esse autem clarissimum, peruenisse est: tuncque in patriâ, ei præsentibus, non aliud est videre sicuti est, quàm esse sicuti est, & aliquâ dissimilitudine non confundi. Sed, id tunc. Interim verò, tanta hæc formarum varietas, atque numerositas, species in rebus conditis, & certis ÆNIGMATIS, nobis ab ipso propositis, quid nisi quidam sunt radij deitatis, monstrantes quidem, quod verè sit, à quo sunt; non tamen quid sit prorsus definientes? Itaque, de ipso vides, sed non ipsum: nisi, vt dixi, per SPECVLVM IN ÆNIGMATE.

Nónne rectè ęnigmatica eiusmodi specula dicemus, omnes illas parabolas, quibus Christus in Euangelio, præsertim cęli desiderabilia atque æterna bona sic occultat, vt tamen ad inuestigandum

gandum occultando inuitet? Non enim aliter hîc se habet Dominus noster, quàm cùm mater quædam dilectis filiis suis delicata aut delectabilia quædam contecta atque inuoluta ostendit; & certo ostentandi ac loquendi modo, præstantiam ita latentium rerum subindicat; vt appetitum habendi exacuat, & voluntatem, ad promtiùs agendum quod opus est, tali arte inflammet.

Nónne tali modo quandoque de absconditis Regni cælorum, ac virtutum præmiis in cælo paratis, locutus est Christus? dicens: O mulier, si scires donum Dei: & quis est, qui tibi dicit; Da mihi bibere. Item: Scio vnde veni; & quò vado. Vado parare vobis locum. Si me sciretis: forsitan & Patrem meum sciretis. Item: Si autem sciretis quid est; Misericordiam volo, & non sacrificium. Adeò vt aliquando sine parabolis non loqueretur ad turbas. Et tametsi indignis eiusmodi velo margaritas thesaurúmque cælestem occultabat: simpliciores tamen ac sese dignos exhibere conantes, ad salutarem mysteriorum reuelationem tam gratioso velamento parabolarum allectos, dilucidâ explicatione illustrabat. Itaque, quasi per SPECVLVM, & in ÆNIGMATE parabolico, dignatus est IESVS, magister, ac Dominus noster, Regni cælestis secreta, quæ suis promisit, amabili & admirabili modo, terrena adhuc inhabitantibus congruo, manifestare. *Ioan. 4.*

Quàm porrò delectabile huiusmodi SPECVLVM ÆNIGMATICVM, inter tot alias innumeras, est illa parabola, & quidem varia ac multiplex, gaudij illius inexplicabilis, quod

angelis est in cælo, super vno peccatore pœnitentiam agente! Talibus namque verborum ac similitudinum inuolucris ob oculos illud po-
Luc. 15 suit: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, &c. Aut quæ mulier habens drachmas decem, &c. Illis autem repertis, quas perdiderant, ille ouem, ista drachmam: conuocatis amicis & vicinis, dicunt: Congratulamini mihi, quia inueni ouem; altera, quia inueni drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.

Sed idem adhuc magis eximio modo desi-
Ibidem gnans Dominus, filij perditi & inuenti subiungit parabolam: per quam cælestè hoc angelorum & cælestium ciuium gaudium ac iubilum lucidiùs, velut in speculo, contemplandum proponit: quando patris personam sic vice ac typo suimet inducit gaudentem, exultantem, ac præ lætitiâ gestientem, dicentemque: Adducite vitulum saginatum, & occidite: & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Quin & fratri seniori de agro venienti, ac deforis audienti symphoniam & chorum, præter epulantium intus iucunditatem, quam non videbat, & indignè ferenti, nec non cum patre proteruè expostulanti, iteratò respondit pater: Epulari & gaudere oportebat: quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Vnde pulchrè Ambrosius: Epulantem, inquit, Patrem inducit, vt ostenderet, quoniam paternus est

cibus

cibus ſalus noſtra; & Patris eſt gaudium, noſtrorum redemptio peccatorum.

ANIMA.

Sed nónne rectè dixerimus, ſi quoque iudicauerimus eiuſmodi peccatorum conuerſionem eſcam eſſe, quâ pater Iſaac libenter in figurâ cæleſtis Patris veſcebatur; & pœnitentium lacrymas vinum angelorum? Hoc igitur SPECVLO ÆNIGMATICO mediante, videmus oculis mentis, exiſtentes in terris, gaudium & exultationem angelorum in cælis: quod ingentis ſolatij loco nobis ſeruit, donec & nos in gaudium Domini introeamus.

Sed, ad aliam eiuſmodi SPECVLATIONEM ediſſerendam accingere: nam ſpiritalis hæc, quantum ſentio, perſpectiua, mirificè in amorem viſendi cæleſtia nos inducit.

DESIDERIVS.

Quid mirum, ô anima, nos illa mirificè inflammare, quæ ex igne illo deſumta ſunt, quem ipſemet ſponſus noſter de cælo venit in terram, imò in medullas oſſium noſtrorum, immittere: de quo, quid aliud volo, inquit, quàm vt ardeat? Itaque digno huic igni fomento, aliam parabolam in SPECVLI morem compoſitam proferamus. Eſt autem illa de decem Virginibus: in quâ per quinque prudentes, quæ venienti ſponſo cum lampadibus occurrentes, intrauerunt cum eo ad nuptias; non obſcurè, quaſi per SPECVLVM tamen & in ÆNIGMATE, videre eſt, quanta ſit exultatio ciuium ſupernorum, dum in loco nuptiarum *Matth.* 25.

cæleſtium Agni, vident Deiparam virginem
Cant. 8 ſponſam Agni, deliciis affluentem, innixam ſuper dilectum ſuum : & chorum prudentium virginum, ceterorumque Sanctorum, & Angelorum exercitum, cum ineffabili iubilo, tam ſancto ac lætantium omnium contubernio aſſiſtentem. Nónne tibi, ô anima mea, mens iſtud ob oculos ponit, & quaſi in medio tam deſiderabilis gaudij ſtatuit; quandocumque iucundum illum quinque virginum in cælos ingreſſum vel audis, vel tecum recogitas? Nónne interiorem obtutum trans nubes abripit iſthęc SPECVLATIO, & choris exultantium in cæleſti Ieruſalem tibi intereſſe videris? Crediderim equidem: nam gratum id eſt, ac obuium, deſideranti animæ; & intentioni dictantis parabolam planè conforme.

ANIMA.

Vt dicis, ita mihi accidere fateor: ſed, non minùs terret adiuncta quinque fatuarum virginum infelix excluſio; &, clausâ miſericordiæ ac ſpei ſalutis ianuâ, cum æternâ confuſione abiectio.

DESIDERIVS.

Meritò (mi chara ſoror, & dilecta columba) nos & omnes triſtis illa cataſtrophe terreat; nam & in illum finem à Domino noſtro tota illa parabola potiſſimùm fuit propoſita: quod poſtrema illa præcedentis capituli dicta ſubindicant: Illic erit fletus & ſtridor dentium. ſubditque illis ſtatim initio ſequentis capitis parabolam iſtam, tali exordio: Tunc ſimile erit regnum

regnum cælorum decem virginibus. quod & concluſio parabolæ ſatis confirmat ; quæ ſic ſonat: Vigilate itaque: quia neſcitis diem neque horam. Sed, tametſi ſic ſua temperet Dominus, vt mali negligentioreſque habeant, quo territi exſtimulentur ; & quo qui bonæ ſunt voluntatis, allecti inuitentur : mauult tamen nos duci dulcedine, quàm trahi terrore: quia timor pœnam habet, amoris dulcedo ſuauitatem.

Itaque, ſaluo ſemper Chriſtiano timore, nihil obſtat, quo minùs toti feramur in cæleſtium deſiderium gaudiorum. Hanc autem ob cauſam , & ſcopum , tertiam parabolam atque ÆNIGMATICVM SPECVLVM contemplemur: cuius obſequio penitiùs in felicitatem & ſplendorem cæleſtis Ieruſalem mentis oculos inferamus . Eſt autem iſta, quâ Dominus Ieſus exuberans gaudium æternæ beatitudinis regalibus nuptiis atque epulis quaſi per ænigma proponit; dum ſic inquit : Simile eſt regnum cælorum homini Regi ; qui fecit nuptias filio ſuo. Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium: intrauitque Rex, vt videret diſcumbentes. Scio hîc, ſenſu primario nuptiale conuiuium depingi, quo fideles in Eccleſiâ militãte fruuntur : ſed cùm illa quoque ſit regnum cælorum in terris; ſpeciali myſterij communicatione etiam parabolam hanc cæleſti gaudio, quantum permittit ſimilitudo, coaptamus. *Matth. 22.*

Quis hîc itaque non videatur ſibi videre Regem ipſum, filium Regis , ſponſum animarum noſtrarum , cum maximâ animi ſui voluptate, per tam grata epulantium contubernia obambulare , congratulari conuiuis , hortari ad delicias

cias illas cæleſtes & angelicum epulum cum ſummâ hilaritate ſumendum? Quinimò, quomodo non hîc videamus, exultantibus animis, & fluentibus præ lætitiâ lacrymis ipſummet Regem, ſummâ cum affectus teſtificatione, conuiuis nuptialibus miniſtrantem? Sic enim ſe facturum promiſit, quando in aliâ parabolâ
Luc. 12 dixit: Amen dico vobis; præcinget ſe dominus ſeruorum fidelium, & faciet eos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Feſſos, inquit Cyrillus, refocillans, apponenſque ſpiritales delicias, & ſtatuens dapſilem donorum ſuorum menſam.

Sed, ô mi dilecte, quid agimus? nullam hîc illius facis mentionem, qui, ligatis manibus ac pedibus, iuſſu Regis in tenebras exteriores eſt proiectus; vbi erit fletus & ſtridor dentium. Non enim te illius, ſcio, cepit obliuio.

DESIDERIVS.

Scio, dilecta, ſcio: ſed, quemadmodum ſpinæ, quamdiu roſis coniunctæ ſunt, locum ſuum atque vſum habent, non tamen ſimul cum roſis carpuntur: ita nobis, cæleſtium bonorum ingentemque lętitiam quaſi per ſpeculum contemplantibus, horror inferni ſimul cogitatus non ita ſeruit ſcopo. tamen, vt antè dicebam de quinque fatuarum dolendo caſu, habent & triſtia ac terribilia ſuum locum & efficaciam tempore ſuo maturè meditata, vt & ſpinæ.

ANIMA.

Eia, agedum igitur mi conſodalis & frater, dul-

dulcedinis huius ductum ſequentes, iubilemus Deo ſalutari noſtro: præoccupemus faciem eius (quam inſtanter quærimus) in confeſſione: & in Pſalmis iubilemus ei.

Domine IESV, ſaluator & conſolator tuorum, qui in cælis præparaſti timentibus & diligentibus te, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; quia diſpoſuiſti illis regnum, ſummum, æternum, ac ineffabilibus bonis abundans: Tu noſti cor noſtrum, ac voluntas noſtra in manu tuâ eſt. Illumina vultum tuum ſuper nos; & in pectus noſtrũ irradia, vt diſcuſsâ omni hallucinatione, propriiq́ue amoris velamine, clarè in nobis videamus, quidquid tibi diſplicet, & quidquid ad tibi placendum facto eſt opus. Sicq́ue hiſce SPECVLIS vti concede, vt idonei aliquando efficiamur gloriæ tuæ SPECVLATORES.

Purga aciem mentis; Diuinum lumine recto,
Sedibus æthereis, vt SPECVLÊRE iubar.

A. *Diuinæ gloriæ ſplendor et fruitio.*
B. *Beatitudo patriæ, in viſione Dei.*
C. *Deus lucem inacceſsibilem et caliginem inhabitat.*
D.F.G. *Exemplo Danielis, ab Angelo in ſpem et pedes erecti, animæ conſolatio.*
E. *Socij Danielis præ terrore fugientes.*
H. *Impleuit orante Salomone, gloria Domini templum Domini.*
I. *Rex Salomon in omni gloriâ ſuâ, et Regina Saba præ ſtupore deficiens.*
K. *Sanctorum beatitudo, qui introierunt in gaudium Domini.*

XII. SPECVLVM VISIONIS BEATIFICÆ.

DESIDERIVS.

VENI, veni, ô anima mea, SPECVLATIONE cælestium ebria; quæ tibi modò SPECVLVM ÆNIGMATICVM, admirabili quadam PERSPECTIVA, contemplanda proposuit. Nónne rectè cum Prophetâ, dilecto IESV nostro, Christo Domino nostro; dicere possumus: Spiritus oris nostri Christus Dominus: in vmbrâ tuâ viuemus in gentibus? Et tu ergo, ô soror dilecta, vide vt viuas exemplo Prophetæ in vmbrâ ipsius; vt aliquando regnes in lumine eius. Nos etenim qui nondum in paradisum, nondum ad tertium ne ad primum quidem cælum ascendimus, vel rapi meruimus, Christi interim mysteria veneremur, sectemur exempla, fidem seruemus; per tropos & parabolas, tamquam per SPECVLVM, cæli secreta rimemur: & profectò in eius vmbrâ viuemus. Imò, vt & sponsæ prærogatiuâ aliquatenus vti nobis donetur; etiam in vmbrâ eius, quem desideramus, sedebimus; & expectantes beatam spem, in eâ tantisper quiescemus. *Thren. 4.*

Verumtamen istud, in vmbrâ seu viuere seu sedere, in vmbrâ tamen est; quia per SPECVLVM IN ÆNIGMATE. Erit enim cùm declinauerint A vmbræ, crescente lumine, imò cùm penitus disparuerint: & subintrabit sicut perspicua ita perpetua visio; & erit non modò suauitas gutturi

turi noſtro, guſtum contemplationis ſignificãs, verumetiam ſatietas ventri, ſine faſtidio fruitionem beatam adimplens: iuxta illud Prophetæ; Tunc ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua.

ANIMA.

Dictis tuis non ſolùm aſſentior, verumetiam totâ mentis capedine conor complecti, quæcumque tam amabili fiſtulâ, argenteo velut epiſtomio, in meum vſum ex ore tuo promanant. Vtque verum fatear, ſentio illud mihi euenire, quod Deo dilectis nonnumquã audiui accidere; vt ſcilicet in præſenti vitâ, guſtus illis diuinæ præſentiæ varietur, pro variis ipſorum animæ deſideriis, non ſecùs quàm mulieri corporaliter, vterum geſtanti. Sentioque verum illud eſſe, quod D. Auguſtinus, agens de SPECVLO, *Auguſt* in quo Deus videtur, ſic inquit: Incorporalem ſubſtantiam, ſcio eſſe ſapientiam; & lumen eſſe, in quo videntur, quæ oculis carnalibus non videntur. Et tamen, inquit, vir tantus tamque ſpiritualis (Apoſtolus, puta) dixit: Videmus nunc per SPECVLVM IN ÆNIGMATE; tunc autem facie ad faciem. Quale ſit, inquit, hoc ſpeculum, ſi quæramus; profectò illud occurrit, quòd in ſpeculo niſi imago non cernitur. Hoc ergo conati facere ſumus: vt per imaginẽ hanc, quod nos ſumus, videremus vtcumque, à quo facti ſumus, tamquam per SPECVLVM. Hoc ſignificat etiam illud, quod ait idem Apoſtolus: Nos autem reuelatâ facie gloriam Domini SPECVLANTES, in eamdem imaginem transformamur de gloriâ in gloriam, tamquam à Domini ſpiritu. SPECVLANTES, dixit, per

ſpe-

SPECVLVM videntes, non autem de speculâ aliquâ prospicientes.

DESIDERIVS.

Vidésne itaque (ô dilecta, sponsi dilecti nostri soror & spõsa) SPECVLORVM istorum omnium efficaciam in hoc esse sitam; vt assiduâ eorumdem contemplatione formetur in nobis Christus, & perfectiùs perfectiusque signetur lumen vultus ipsius super nos? Quocircà, ad hoc adnitendum est nobis; vt quandocumque introrsum oculos mentis conuertimus, illic expressam dilecti nostri faciem inueniamus: iuxta illud S. Cypriani elogium: Nos, qui Deo credimus, Christum in nobis tamquam in SPECVLO quodam videmus. *Cypr.*

Nónne etiam, ô soror mea, hoc ipsum à nobis dilectum nostrum efflagitantem audimus? Pone me vt signaculum super cor tuum. Ipsius est quidem gratiam dare, & præbere signaculum; sed nostrum est illud apponere. Ideoque non dicit, Sine apponam; sed, Pone. Pete, & dabitur tibi abundanter, & non improperabitur: oblatum accipe beneficium, & manus extende, tene quod habes, & vtere concessis, atque applica vbi est opus. Pone me vt signaculum super cor tuum; vt illud illuminetur, totumque sit Deo plenum. Et pone me vt signaculum super brachium tuum: vt quod corde diuinum sanctumque conceperis, opere exequaris, & parias. *Cant.* 8

Itaque, animosè agamus, ô anima: & si SPECVLVM ÆNIGMATICVM, nos quasi per vmbram, certamque perspectiuam, cælestium

appetitu ac desiderio incendit, atque aliquousque in altum euexit; tam salutari huic operi gnauiter incumbamus: demusque operam, vt ope diuinâ suffulti, quod proximè nunc ab illo nobis in manus venit SPECVLVM, summam ceterorum complectens & perficiens, meditationis sublimioris adminiculo, vtcumque contemplari valeamus.

Scio, ô mea anima, magnæ istud est opis & operæ, quod molimur in præsens; & non nisi valdè spiritalium hic vigor est animarum. Nam, vt verum fatear, non multùm absimile est ei quod de sancto protomartyre Stephano legimus: Ecce video cælos apertos; & Filium hominis stantem à dextris Dei. Quapropter etiam opus foret, tantam (si fieri possit) induere virtutem ab alto, & quasi in nouam creaturam transformari: vt, qui nos luminis eius effectos participes cerneret, videret ille faciem nostram tamquam faciem Angeli.

Act.7.

ANIMA.

Quid igitur, ô dilecte, consilij; cùm tam procul ablimus ab illâ & sanctimoniæ sublimitate, & à tam angelicâ puritate? Vtinam nunc Deus noster, nos digneris interiùs per temetipsum inuisere, & penetralia nostra omnia purificare, illuminare, & in temetipsum trâsfundere: nam scio te hoc indulgere consueuisse talibus animabus, quæ ad te quærendum toto se desiderio & amore solent effundere ac deuouere. Taliter suspiranti, taliter anhelanti, ac sine intermissione oranti, seque præ DESIDERIO afflictanti animæ, scio, scio inquam, ab expertis edocta, quòd

quòd frequenter miseratus occurras; dicasque illi, quod Zacchæo te videre quærenti : Festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere. Sicque cum illâ, cuicumque acciderit, tunc deinceps agitur, vt verè dici possit: Hodie salus huic domui facta est. cantetque tum lætabunda talis anima, cum Ieremiâ prophetâ : Bonus es Domine sperantibus in te; ANIMÆ quærenti te. *Luc.19* *Thre.3*

DESIDERIVS.

Saluberrima sunt ista, quæ differis, anima; sunt & iucunda, & proposito operi perquàm accommoda. Neque aliam video rationem: quia, quemadmodum nihil visibilium horum sine oculis & lumine videri potest; ita quoque nulla spes speculandi cælestia, citra illam, quam modò descripsisti facultatem, atque ANIMÆ DESIDERANTIS dispositionem. Quapropter in huius tam optati conatus obsequiũ, adhibeamus (Sancto quodam id suggerente) Angeli quoque nostri custodis, sponsique nostri paranymphi consilium, & auxilium. Angelus, inquit, talis ANIMÆ DESIDERANTIS, qui vnus est de sodalibus sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profectò & arbiter secretæ mutuæque salutationis; is, inquam, angelus, quomodo tripudiat! quomodo collætatur, & eiusmodi animæ condelectatur! Et conuersus ad Dominum, dicit: Gratias ago tibi, Domine maiestatis: quia DESIDERIVM cordis eius tribuisti ei; & voluntate labiorum eius non fraudasti eam. Idemque ipse est angelus noster, qui in omni loco, sedulus quidam pediſſequus *Bern. Ser 31. super Cant.* *Ps. 20.*

ANIMÆ, non ceſſat ſollicitare eam, & aſſiduis
Pſ. 36. ſuggeſtionibus monere, dicens: *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui. Et rurſum: Expecta Dominum, & cuſtodi viam
Abac. 2. eius. Item: Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ad Do-
Pſ. 41. minum autem inquit identidem: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita DESIDERAT ANIMA iſta ad te Deus. Deſiderauit te in nocte: ſed & ſpiritus tuus in præcordiis eius, de mane vigilauit ad te. Et iterùm: Totâ die
Pſ. 87. Matth. 15. expandit ad te manus ſuas: dimitte illam, quia clamat poſt te. Conuertere aliquando, & de-
Pſ. 89. precabilis eſto ſuper eam. Reſpice de cælo, & viſita deſolatam.

Fidelis verè paranymphus, qui mutui amoris conſcius, ſed non inuidus; non ſuam, ſed Domini gratiam quærit: diſcurrit medius inter dilectum & dilectam; vota offerens, referens dona. Excitat illam, placat illum. Interdum quoque, licet rarò, repræſentat eos pariter ſibi: ſiue hanc rapiens, ſiue illum adducens.

Hoc ecce, ô anima, eſt, quod volumus, quod intendimus, quod toto DESIDERII cordis noſtri ſinu & complexu ambimus & concupiſcimus: neque alio, quàm tali pacto SPECVLI iam nobis oblati debitum vſum & fructum conſequemur. Nam ſpeculationis huius in eo conſiſtit conditio, non vt tam ſenſibiliter ampliùs per creatarũ rerum ſpecies, aut parabolas, & ęnigmatũ ſimulacra, beatam illam viſionem, ſummiq́ue boni fruitionem, vmbraticè contemplemur; vt hactenus fecimus: neque tamen ſic etiam vt eam videamus, ſicuti eſt, quod viuen-

viuentibus adhuc in terris non datur: verùm, vt in viâ ac vitâ adhuc mortali peregrinãtes, quantum fieri potest, internâ mentis acie liceat intueri, sinceroque cordis affectu gustare, extremisque quasi labris delibare, quàm suauis sit Dominus; quamque bonum, & quàm iucundum sit gaudium eorum, quorum sicut lætantium omnium habitatio est in te, ô Ierusalem, ciuitas Dei!

Rem magnam, non nescio, postulamus: sed tamen, ô Domine, in potestate tuâ cuncta sunt posita: quique dives es in omnibus, ac nullius indiges; nihilque tibi deperit, cunctis elargienti: nec tam quid humiles tui petitores mereantur attendis, quàm quid tuam deceat maiestatem concedere.

Neque id postulamus, ô misericors Deus, vt altùm sapiamus, neque ambulemus in magnis aut in mirabilibus super nos, & nos super nosipsos subleuantes, inaniter gloriemur, alióve contemnamus: sed vt taliter in te ac per te collustrati, viuamus, iam non nos, sed tu in nobis: tantoque cælestium amore ac DESIDERIO deinceps flagremus, vt terrenis omnibus despectis, omnique vitiorum cupiditate per hanc gratiam refrenatâ, imò prorsus restinctâ, tibi soli placere studeamus: & cælestem in terrâ conuersationem sectemur.

ANIMA.

Sed, nónne tu Domine nobis ostendis viam ad hanc beatitudinis vitam, tum quæ in viâ obtineri potest, tum quæ solùm in patriâ reperitur, quando ais: Hæc est vita æterna: vt

Ioã. 17 cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM? Vita ſiquidem gratiæ, vitæ gloriæ & æternæ principium eſt: quia iuxta menſuram gratiæ, erit & gloriæ remuneratio.

DESIDERIVS.

Rectè, ô anima: nam cognitionem Dei hîc per gratiam, beatitudinem viæ eſſe didicimus; cognitionem verò Dei per gloriam, eſſe beatitudinem patriæ. Et, quoniam cognoſcere, actus intellectus eſt; conſtat, videre Deum eſſe intelligere. iuxta quod Sanctus quidã dicit; Summam mercedem animæ eſſe, intueri Deum: adeò vt viſio ſit tota merces. Et tametſi in hac viâ & vitâ mortali, dilectio Dei perfectior ſit magiſque meritoria cognitione eiuſdem: eò quòd intellectus in viâ non fertur immediatè in Deũ, ſed per ſpeciem; voluntas autẽ ſine vllâ ſpecie vel ſimilitudine in ſe receptâ, ſed immediatè in eũ refertur: non tamen idcircò in patriâ quoque dilectio vel fruitio eſt cognitione perfectior: quia ibi intellectus immediatè & abſq; ſimilitudine fertur & terminatur in Deum; præſupponitque fruitio viſionem, ab illaq; dependet, & non econtrariò. B

Quandoquidem igitur clara Dei viſio beatifica, immediata eſt viſio diuinæ eſſentiæ; quãdo nempe intellectus illam per ipſammet videt; vt ſcilicet in eiuſmodi viſione, eſſentia diuina, & id ſit quod videtur, & quo videtur: conſtat, tunc adimpletum iri, quod dicit Apoſtolus: Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: & videbimus eum ſicuti eſt. Et Paulus: Videbimus eum facie ad faciem. Item: Nunc cognoſco ex parte: tunc autem

1. Ioan. 3. 1. Cor. 13.

autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Quia, ſicut Deus nos cognoſcit, abſque vllâ interme-diâ ſpecie aut ſimilitudine: ita & Sancti eum vi-debunt, & in eo erunt ipſi ſimiles. Quod & D. Petrus teſtatur: Per quem maxima & pre- 2. Pe. 1.
tioſa nobis promiſſa donauit: vt per hoc efficia-mini diuinæ conſortes naturæ. Non autem apparet, quomodo ſimus conſortes diuinæ na-turæ; niſi ipſi immediatè vniamur: ſicut Chri-ſtus ipſe Patrem orabat. Rogo Pater, vt omnes vnum ſint; ſicut & nos vnum ſumus. Et quem-admodum ipſe per eſſentiam videt ſe; ita nos quoque per eius eſſentiam ipſum videamus, & cognoſcamus eum, ſicut & nos ab eo cogni-ti ſumus.

ANIMA.

Sed, Domine Deus, quid agimus? quid quaſi cæcutientes palpamus parietem in meridie? Da obſecro, vt videamus lumen: vt, quemadmo-dum intellectus in Sanctis in cęlis, ad videndum tuam immediatè eſſentiam, per ſuam naturam non poteſt aſſurgere (cùm, teſte Philoſopho, ſic ſe habeat intellectus noſter ad manifeſtiſſima naturæ, ſicut oculi noctuæ ad lumen ſolis) de-beatque eapropter per aliquod donum gratui-tum, lumen ſcilicet gloriæ ad te clarè viden-dum eleuari; ita quoque hîc adhuc in terris degentibus neceſſe ſit illuſtrari intellectum tuæ gratiæ lumine, tibique coniungi: obſecro, ne nos deſpicias in iſtis neceſſitatibus palpitantes; ſed eſto gratiæ tuæ munificus elargitor: cùm nihil nobis aliud ſit in cælo, neque præter te quidpiam velimus ſuper terram. Et quemad-

modum beatitudo tua est, Domine, quâ cognoscis te; si enim non cognosceres, beatus non esses: ita quæsumus tuam nobis communices gratiam & charitatem; vt in lumine tuo
Greg. videamus lumen. Et quemadmodum (teste Sancto tuo) Deus, dum seipso perfruitur, perfectè glorioſus est; sicque erit sanctis in gloriæ communicatione: ita concede, nos te hîc perfrui per gratiam, tecumque vniri: & in te & per te, te contemplemur; si non vt voluerimus, vt
Sap. 7. possumus tamen. Tu es enim SPECVLVM hoc sine maculâ, quod modò habemus præ manibus.

DESIDERIVS.

Sublimè tu quoque volas, ô anima: vide ea propter, ne in lucem tanti splendoris impingas,
Pro. 25 & dum nimis altiuola scrutatrix es maiestatis, opprimaris à gloriâ. Sed, benè habet, quòd tuæ conditionis memor, statim ad terram tuæ peregrinationis hospitium, te suauiter demisisti. Itaque, quandoquidem intellectu nostro non valemus comprehendere Deum, vt cognoscamus quid sit, qualique modo est incomprehensibilis: accedamus ad eum, attingamus eum, vniamur ei; atque ita per gratiam eum hîc cognoscemus, & in futuro per gloriam. Neque hîc quidquam corporei nobis est imaginandum, in istâ tam suaui sponsi cum sponsâ, animæ cum Deo commixtione. Illud enim hîc
1. Cor. 6. accidit, quod dicit Apostolus: Quoniam qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Excessum puræ mentis in Deum, siue Dei pium descensum in animam, quibus possumus verbis, exprimimus.

Ita-

Itaque in ſpiritu fit iſta coniunctio: quia ſpiritus eſt Deus; & concupiſcit decorem animæ illius, quam fortè aduerterit in ſpiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem in deſiderio: præſertim, ſi ſui amore flagrantem conſpexerit.

Veni propterea, dilecta mea, vnica columba mea: & cordis noſtri thalamum adornemus, vt ad nos cæleſti illapſu deſcendat; & vnus ſpiritus cum ipſo effecti, quæ ſurſum ſunt, ſemper quæramus & ſapiamus: vt puri puro iungamur, & pulchri pulchro; eiſque perpetuò ſic commoremur: quia bonum eſt, ita cum ipſo & in ipſo eſſe, & numquam inde ſeparari. Quò enim à te Domine ibimus? Nam verba & dona bona æternæ vitæ habes.

ANIMA.

Iucundiſſima quidem hæc vniuerſa, mi frater, & delectabilia vehementer: ſed, quanam viâ moliemur acceſſum hunc & aſcenſum, quem tantopere commendaſti, & vnicum eſſe docuiſti, vt Deum hîc per gratiam, & in cælis per gloriam intueamur; vt nimirum acceſſione iſtud fiat, iuxta Prophetæ conſilium, Accedite & illuminamini: quonam pacto, inquam, id attentabimus? quam in partem tendemus; ad lucémne, vel ad caliginem? nam vtramque perhibetur inhabitare. Si ad lucem: lucem (inquit Apoſtolus) inhabitat inacceſſibilem: quînam igitur accedemus ad eam? Sin ad caliginem; quonam modo eum inueniemus? imò, quomodo non enormiter offendemus, ſi in tenebris ambulauerimus? Ediſſere quæſo hanc nobis 1. Tim. 6.

ambiguitatem: & diuide, si quo modo potes, lucem à tenebris: vt discussâ hac quoque mentis nostræ caligine, lucifer in cordibus nostris oriatur; & fiat lux.

DESIDERIVS.

Vtrumque esse verissimum, inficiari non C
1. *Tim.* 6. possum; quia testatur Apostolus, Deum lucem inhabitare inaccessibilem: & Psalmista similiter
Ps 96. dicit: Nubes & caligo in circuitu eius: & Moy-
Exo. 19 ses accessit ad caliginem, in quâ erat Deus. Sed
Diony. respondet nobis adhæc quidam Sanctus, valdè diuino lumine collustratus; taliterque hanc nubem discutit, ac vtrumque conciliat: Omnis, inquit, caligo est, inaccessibile lumen. Est ergo idem, quod hîc lumen, ibi caligo. Sed caligo est, inquantum non videtur; lumen verò, inquantum videtur. Sique consideremus, duobus modis aliquid esse inuisibile; faciliùs ista dubij tui obscuritas dissipabitur. Vno namque modo res inuisibilis est, propter se; vt sunt opaca: alio autem modo propter rei ipsius excellentem splendorem; sicut sol nec ab oculo noctuæ, nec quidem à nostro, potest videri. Lux itaque Dei nobis inaccessibilis est atque inuisibilis; partim propter excessum fulgoris, partim verò propter oculorum nostrorum internorum hebetudinem, tamquam noctuarum. Itaque, ipse sibimet lux est, nobis autem caligo & tenebræ: ipsi, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius: quia vnum & idem est; nobis verò duo apparent: quia in ipso lumen immensum esse conspicimus, & in nobis densam caliginem, à tanto splendore repercussam & accessu prohibitam.

Quo-

Quocircà, quamdiu, quod de Deo dicimus, etiam intelligimus & vtcumque comprehendimus, in luce quadam versamur: Deus autem posuit tenebras latibulum suum: atque ideò ignorantiæ nostræ lucem intrare necesse est, donec diuini splendoris caligine occæcati, cum Prophetâ clamemus: Cor meum & caro mea defecerunt in Deum meum. Vnde Plato, diuinus quibusdam philosophus, propter eximiam eiusmodi rerum altiorum indaginem, appellatus; cognitionem veritatis summum hominibus bonum esse affirmat: quæ cùm perfectè contingere in hac vitâ nequeat, fit, vt difficile putet, viuentem aliquem verè posse beatum dici: magnam tamen esse spem, vt eam cognitionẽ assequamur vitâ functi, liberi iam corporis vinculis, & impedimento ad res mente comprehendendas maximo. Cùm ergo vitâ discesserimus, si modò purgati exeamus, tunc VERVM ipsum, & id quod verè est, Deum videlicet, intuentes, fruemur re nobis tantopere concupitâ. Ps. 17. Ps. 72.

Sed, vbinam es, anima mea? quid agis? quid ad hæc inaudita respondes? An sicut qui ex resplendentis lumine solis in domum repentè regrediens cæcutit & in tenebris versari sibi videtur; ita tibi à tam micanti SPECVLATARVM RERVM fulgore in temetipsam reuersæ, caligo oboritur, acie oculorum perstrictâ, maioríque lucis offensione hebetatâ? An verò, dum ista quæ supra te sunt, te sursum abripiunt; & viciſſim, quæ iuxta vel infra te sunt, deorsum trahunt; inter vtrumque quasi suspensa hærens, an in corpore, an extra corpus tibi eueniant, nescis?

Exurge, exurge, mirabilis contemplatrix, &

in

in pedes te erige. An modum inquiris? Danielis D
prophetæ deliquium & erectionem tibi ob
oculos pone, certo boni successus solatio, atque
adeò argumento; cùm vehemens DESIDE-
RIVM vtrique hanc animi viriumque defe-
ctionem procurarit. Sic ipse de se fidenter testa-
Dan. 10. tur & candidè: Vidi ego Daniel solus visionem.
Porrò, viri qui erant mecum, non viderunt; sed
terror nimius irruit super eos, & fugerũt in abs- E
conditum. Ego autẽ relictus solus vidi visionem
grandem hanc: & non remansit in me fortitu-
do: sed & species mea immutata est in me, &
emarcui; nec habui quidquam virium. Et audi-
ui vocem sermonum eius; & audiens, iacebam F
consternatus super faciem meam; & vultus G
meus hærebat terræ. Et ecce: manus tetigit me;
& erexit me super genua mea, & super arti-
culos manuum mearum. Et dixit ad me: Da-
niel, VIR DESIDERIORVM, intellige ver-
ba, quæ ego loquor ad te; & sta in gradu tuo:
nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset
mihi sermonem istum, steti tremens. Et ait ad
me: Noli metuere Daniel: quia ex die primo,
quo posuisti cor tuum AD INTELLIGENDVM,
vt te affligeres in conspectu Dei tui; exaudita
sunt verba tua, & ego veni propter sermones
tuos. Noli timere, VIR DESIDERIORVM;
pax tibi. Confortare, & esto robustus. Cumque
loqueretur mecum, conualui, & dixi: Loquere
Domine mi; quia CONFORTASTI me. Ita
tu quoque, ô anima mea, confortare, & esto ro-
busta: & audi loquentem in te Dominum
tuum, qui te debilem & pusillanimem restau-
rabit consolidabitque.

ANI-

ANIMA.

Sit nomen Domini benedictum in sæcula; qui facit mirabilia solus: & benedictum nomen maiestatis eius in æternum; quia repletur maiestate eius omnis terra.

DESIDERIVS.

Fiat, fiat: nam verè benedictus Dominus Deus Israël: & laudabilis, & glorioſus in sæcula.

At nunc, ô anima, quandoquidem (vt iam antè plus semel audiuimus) adhuc istâ mole corporis grauati, ad superna SPECVLANDA, quantumuis nitamur, subuolare non possumus, vt ibi SPECVLVM SINE MACVLA, Dei maiestatis, qui est candor lucis æternæ, & imago bonitatis illius, contemplemur; ad speculi tam illustris ac incomprehensibilis specimen ac speculum humiles reuertamur, propriæque infirmitati condescendentes, vnum per alterum, vt homini datum est, consideremus. Admiremur, obstupescamus, ac veneremur figuram; atque ex eâ rem ipsam repræsentatam maiori quoque honore & amore prosequamur, tametsi adhuc à nobis remotam. *Sap. 7.*

H Modum huiusmodi SPECVLATIONIS nosse desideras? Audi, quid de templo Salomonis, atque admirandâ diuinæ præsentiæ maiestate, Scriptura commemoret: Factum est, cùm exissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domum Domini: & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam. Sed hæc, quæso, quæ nebula? quæve tanta caligo? Non alia, quàm illa quam suprà meminimus: *3. Reg. 8.*

lucis

lucis videlicet, modum omnem humanum
2. Par. excedentis. Audi Scripturam: Impleuerat
5. enim gloria Domini, domum Domini. Atque vt idem admirabile factum describitur: Cũctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuersi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus; longè sonitus audiebatur: ita, vt, cùm Dominum laudare cœpissent, & dicere; Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius; impleretur domus Dei nube, ne possent sacerdotes stare & ministrare, propter caliginem. Compleuerat enim gloria Domini, domum Domini. Vidésne, ô Anima, specimen non obscurum cælestis gloriæ in terrâ resplendescentis?

ANIMA.

Ps. 83. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit & deficit spiritus meus in atria Domini. Non solùm etenim mihi, dum hæc audio, videre videor Regem Salomonem in omni gloriâ suâ, atque in inenarrabili sapientiâ, varietate, ordine, splendore, atque omnium rerum opulentiâ, ob quorum omnium excel- I
3. Reg. 10. lentiam Regina Saba non habuit vltrà spiritum, vt exclamaret; Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam: verumetiam mihi specimen aliquod atque exemplar intueri sum visa, admirandi illius ingressus in paradisum Dei, de quo K
Matth. 25. ipsemet Domine fidelibus seruis tuis dixisti: Euge serue bone & fidelis, INTRA IN GAVDIVM Domini tui.

Quem-

Quemadmodũ enim cunctis pariter citharis, organis, vocibus, tubis & cymbalis, omnisque generis musicorum concinentibus, vocemque in sublime tollẽtibus, insuper etiam gloria Domini adimplebat domum Domini; adeò, vt plena essent omnia maiestate, melodiâ, suauitate & iubilo: ita quoque imaginor, (quamdiu SPECVLIS vtendum est nobis) intrare in gaudium, esse repleri gaudio, interiùs & exteriùs: sicut qui intrant in eiusmodi templum, plenum melodiâ, plenum ornatu, thymiamate fragrans, thure odorifero plenum, omnique repletum decore & gratiâ; necesse est, introëuntes & intrare in medium illorum omnium, & illa similiter vniuersa intrare in ipsos, quâ datur viâ: quæque nimirum per organum suum: dulcem sonum per aures: per oculos amœnum adspectum ibi videndorum: odorem gratissimum per nares: per os verò omnesque corporis meatus & poros, delectabiles aromatum species; & quidquid vllo hominis sensu atque intellectu iucundum & gratum percipi potest.

Tunc enim iuxta Gregorium, ad Domini sui gaudium perfectè intromittitur; quando in æternam illam patriam assumtus, atque Angelorum cœtibus admixtus, sic interiùs gaudet de munere, vt non sit quod exteriùs doleat iam de corruptione. Quid enim, inquit Hieronymus, maius potest dari fideli seruo, quàm esse cum Domino, & videre gaudium ipsius? Dominus namque, iuxta Chrysostomum, per hoc verbum (gaudij nempe) omnem beatitudinem ostendit. Hoc enim, ait Augustinus, erit plenum gaudium nostrum, quo amplius non est: FRVI

DEO,

DEO, TRINITATE; ad cuius imaginem facti sumus. Hæc, inquam, omnia in præsenti SPECVLO mihi visa sum contemplari.

DESIDERIVS.

Quantum equidem existimare possum, ô anima, tale quid in æternâ Beatorum gloriâ liceat speculari; sicque fideles animas in gaudium Domini sui intrare, vt omnia quoque quæ cælestis sunt beatitudinis & gloriæ intrent in ipsas, & sit Deus omnia in omnibus. Sed, quis ita sapiens vt intelligat hæc? Existimabam equidem, vt
Ps. 72. cognoscerem hoc: verumtamen labor est ante me: donec intrem in sanctuarium Dei; & intelligam in nouissimis eorum: quæ beato fine laborem omnem, exilium, peregrinationem, & lugendam hanc afflictionem incolatus istius concludent: post quæ læta, luctus non erit amplius, nec vllus dolor; sed gaudium sine tristitiâ, bonum citra mali mixturam, regnum pacatum, securum, & æternum; felicitas citra vllam miseriam; vita beata, mortis & luctus expers; perpetua cum sanctis angelis choroque cælesti iubilatio, absque vllo mœrore: intrabunt Sancti in gaudium, in gloriam, in iubilum, in bonum incomparabile & summum; & ipsi pleni hisce vniuersis, sunt ita sine fine mansuri.

ANIMA.

O mi Frater, vitæque huius fidelissime comes, & ad beatam illam vitam coniunctissime conspirator, ac DESIDERATOR! Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Et quandoquidem vnanimi consensu ac studio

in

in hunc scopum collimamus: absit procul ea-
propter, absit inquam, fratris illius maioris in- *Luc. 15*
grata & obstinata contemtio, nolentisque in
domum paternam iubilo plenam intrare fasti-
dium: sed potiùs festinemus ingredi in sanctã *Hebr. 4*
illam ciuitatem, in illam requiem. Nihilque sit,
quod nos vllo modo ab hoc conamine rem o-
retur: non caro, non mundus, neque ipse iuratus
hostis salutis nostræ diabolus: sed, constanter,
cum magnâ fiduciâ, spe pleni, ac charitate fer-
uentes, nec à dextris nec à sinistris declinantes,
regiâ crucis viâ, Deo duce, procedamus de vir-
tute in virtutem; donec VIDEAMVS DEVM
DEORVM IN SION; hoc enim DESIDE-
RIVM NOSTRVM.

CONCLVSIO,

cum pio ad DEVM, *ad* B. MARIAM VIRGINEM, *& ad* ANGELVM TVTELAREM *Alloquio.*

QVID dicam tibi, Domine Deus, consummato iam tandem SPECVLORVM opusculo? Gratias tibi quidem ingentes ago, quòd qualequale est illud, à te totum profectum sit: at ego, vt quod res est confitear, multùm in memetipso confundor; quòd tam parum, pro meo primo proposito, sim assecutus quod intendebam. Neque tamen id tam quoad SPECVLATIONEM, & scriptum quod tibi, vt par est, acceptum fero; quàm quoad executionem & PRAXIM, quæ meliorem meam operam requirebant. Animus siquidem erat (vt nosti Domine, quia te illum mihi indidisse confido) ita SPECVLORVM istorum naturam, artificium, varietatem, atque vsum, mihi potiùs quàm aliis adumbrare; vt illorum per ordinem contemplatione, sic me iuxta eorumdem consilium & auxilium, interiùs exteriusque compararem, quatenus nihil in me maneret, quod vel diuino tuo conspectui displiceret, vel quemquam proximorum offenderet: iuxta salutare illud Apo-
2. Cor. 8. stoli monitum & exemplum: Prouidemus enim bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Hoc inquam propositum: sed, quî praxis respondeat, tu scis Domine,

in

in cuius conſpectu vniuerſa ſunt poſita.

Quid igitur dicam, aut quid reſpondebo tibi, dicturo mihi: De ore tuo te iudico, ſerue nequam. Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum locutum eſt aduerſum te: dixiſti, & non feciſti. Qui ergo alium doces, teipſum non doces? O Domine, totum verum eſt; & culpam agnoſco. Quia quemadmodum confunditur fur, quando deprehenditur: ſic confuſus ſum ego, in errore meo tam euidenti deprehenſus. Nam dum per ſingula SPECVLA decurrendo, tandem viſus ſum aliquatenus nubes penetrare & cælum, viſionemque beatificam diuini tui vultus à longè vel attingere vel ſaltem ſalutare (quantum nempe cæcutienti licuit hallucinando palpare, atque aggrauatis auribus haurire, atque muto balbutiente lingua proferre) ecce, vix benè primum & imum huius SPECVLATIONIS ſcalæ gradum, mei ipſius inquam cognitionem, PRACTICÆ vitæ veſtigiis premere cœpi.

Luc. 19 *2 Reg. 8* *Rom. 2* *Prou. 6*

Conſideraui quidem omnia SPECVLA: ſed heu! poſtquam vidi in eis vultum natiuitatis meæ, (vitæ nimirum meæ, quam ab ortu natalis mei in hunc vſque diem deduxi) tam fœdum, tam deformem, tam diſtortum, atque à ſuo prototypo vultus tui degenerantem; erubui quidem, fateor, in memetipſo vehementer, mihíque ipſe diſplicui, & dolui non parum; nam hoc totum tuum fuit: ſed, quoad me; ſtatim abij, & (heu miſerum me!) oblitus ſum, qualis fuerim. Nolo tamen, ô Domine, animum deſpondere; ſed in infinita tua bonitate ſpem collocare.

Scio, quid faciam: ſi modò conſilium meum

tuâ gratiâ, quasi manu opitulante, comitari ac dirigere non graueris: quod te facturum confido, cùm omne bonum à te sumat originem; & nolis mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. In primis, hoc faciam, ô clemen-
Gen.20 tissime Domine; MEMINERO ME DEPREHENSVM: & inter tot SPECVLORVM (meliorum potissimè) claritatem, me adhuc in densâ mearum infirmitatum caligine mansisse palpantem. Eapropter, humiliter veniam deprecabor, quòd in terram prostratus facio; atque tali pacto, spem, animum, atque adeò rem ipsam neglectam sum resumturus. Idque hac lege & mente: vt, quod primariâ SPECVLORVM fabricâ ac dispositione me facturum speraram, illud saltem secundariâ eorumdem reuisione resarciam. Et, si sperata non venit ipsimet auctori inter scribendum vtilitas; ei saltem, communis cuiuis lectori, inter legendum proueniat.

Quocircà, piissime Domine, scrutator cordium & informator, ne deneges hanc seruo tuo misericordiam; in quâ solâ spes omnis mihi est reliqua: vt SPECVLA ista frequentiùs pertractando, & defectus proprios videam, visos agnoscam, & agnitos incessanter corrigere studeam: vt corde mundato, & purificatâ mentis intelligentiâ, ad tuæ voluntatis cognitionem magis magisque illuminer; atque ad eamdem opere adimplendam, quàm promptissimè manus & pedes expediam. Cùm autem nihil de meipso, meisque viribus ac conatibus, possim præsumere (nam præter bonam voluntatem, quæ à te quoque venit, nihil in me nisi defectum

&tum inuenio) in multiplici tuâ gratiâ, ac immensâ bonitate, solatium meum omne requiescit. Tu namque mihi hoc DESIDERIVM tibi placendi ac seruiendi tribuisti; à te quoque virtus perficiendi debet procedere. Testis namque es Domine conscientiæ meæ; quòd per mille tormenta, ipsumque adeò pro te mortis supplicium, sincero videndi te aliquando in gloriâ DESIDERIO, meque ad beatificam illam & peroptatam visionem præparandi studio, de SPECVLIS ista concipere cogitarim; sicut spõsa se ornat viro suo: sed, ô torporem meum, & inolitam deorsum trahentem, & terrena faciliùs quàm cælestia meditantem, consuetudinem, in alteram mihi quasi naturam versam; cùm propria plus satis faceſſat negotij!

Quapropter, ô Domine Deus, Creator ac Redemtor meus; qui nihil odisti eorum quæ fecisti, quique solo nutu restauras vniuersa; suscipe pium clientis tui votum, quod non nisi tuæ gloriæ, suæque salutis augmento concepit: quique dedisti velle, da quoque & perficere: vt in oculis tuis inueniam gratiam in terris, & à tuâ gloriâ non excludar in cælis.

AD BEATAM MARIAM.

AD te quoque, cum quanta possum humilitate ac deuotione, me conuerto, ô sanctissima Dei genitrix, virgo MARIA! Ego siquidem indignus sum quem clementissimis tuæ pietatis oculis respicias: sed necessitates meæ multæ & magnę me compellũt aliunde & foris opem implorare; cùm domi, & à memetipso

sim omnis inops auxilij, & consilij expers: imò cùm ego sim mihimetipsi grauis. Et, quò me post Deum, omnis boni auctorem & datorem, pro patrocinio conuertam consultiùs; quàm ad te matrem gratiæ, matrem misericordiæ, plenam omni solatio ac dulcedine; quæ apud Dominum meum IESVM CHRISTVM, Verbum ex te incarnatum, verbum habes indulgentiæ ac prærogatiuæ singularis pleniſſimum? Tu itaque, ô clemens, ô pia, ô dulcis virgo MARIA! succurre nunc mihi misero & desolato; vt non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis Dei, neque reprober à filiis eius.

Composui, fateor, mihique ipsi præfixi DVODECIM SPECVLA, quorum adspectu & maculas mentis cognoscerem, & illis detersis nitidior coram Domino meo Rege vniuersorum, vero Salomone, filio tuo, apparerem; talique modo in ipsius Regni consortium introirem: &, ecce, æquè deformis, imperfectus, & abominabilis maneo. Videor mihi quidem subinde defectus meos videre, præsertim dum SPECVLVM PROPRIÆ VILITATIS, & EXEMPLARE SANCTORVM intueor: sed non solùm non emaculo corrigóve; verumetiam credo, quamplurimas animi maculas me etiam examinatissimum fugere, neque vmquam in proprium conspectum venire. Istud autem sic se maximâ veri similitudine habere, hoc mihi argumento persuadeo; quòd ego quoque (& malè quidem) in aliis aliquando tamquam errata quædam considero, quæ ipsimet non solùm non agnoscunt, sed (quantum suomet indicio se ipsi produnt) sibi optimè illa feciſſe vel dixiſſe videntur;

tur ; quod ego quoque , fateor, ita interpretari deberem, etiamsi fortè forent illa non solùm coram Deo, sed etiam coram peritis, reprehensioni obnoxia. Ita vice versâ, non dubito, quin alij quoque in me multa verè improbanda animaduertant ; in quibus equidem non solùm nihil culpæ inesse existimo, verum etiam in quibus mihi bellè rem gessisse persuadeo. Ita ecce, SPECVLVM COMPLACENTIÆ omnem iudicij boni ordinem in nobis inuertit: quod vtinam non singulis momentis , singulis saltem rebus agendis , & obeundis muneribus, vsu veniat.

Hanc igitur, ô Domina mea , sancta MARIA, mihi ab vnigenito tuo IESV CHRISTO, omnis gratiæ fonte , gratiam impetra; (quid enim negabit tibi?) vt illo oculorum acumine, quo in aliorum mores tam cerno acutùm, proprios defectus expendam , deprehensos agnoscã, & agnitos oderim : vt, quod in me, propter Domini mei amorem, odi ; eâdem Dei gratiâ adiuuante fideliter corrigam. Hæc autem tria SPECVLORVM istorum adminiculo consequi, tuâ interceſſione, desiderem: vt in primis salutis sim propriæ studiosus amator & obseruator: tum vt in proximi quoque salutem assiduâ flagrem charitate : postremò verò (quod tamen caput est) vt Dominum Deum in conspectu meo habeam semper , eique verâ dilectione adhæream : vt hîc ipsi coniunctus per gratiam, in cælis eidem aliquando inhæresçam per gloriam: te verò, ô Domina mea MARIA, pro tali tantoque obsequio & beneficio, dignâ semper reuerear veneratione.

AD ANGELVM TVTELAREM.

TVque beate ſpiritus, Angele, mihi diuina diſpẽſatione ac benignitate cuſtos deputate; hac in curâ ac ſollicitudine meâ, mihi quæſo ſpecialiter auxiliari digneris. Scio, atq. confiteor; ingrati tudo erga te mea, non hanc quam modò depoſco, meretur gratiam: verumtamen, quid neceſſitas in quâ conſtitutus ſum poſtulet, potiùs quæſo conſidera, quàm quid mea indignitas mereatur. Et quidem, te conſule, duce, atque adiutore, ſpero in poſterum meliora me ſectaturum; daturumque operam, vt conatus meus meliùs tuæ curæ reſpondeat.

Oro igitur te per illum, quem habetis omnes angelici ſpiritus, ciueſque cælici, erga genus noſtrum, affectum, ardentemque charitatem; vt hoc mihi cæleſte donum te ſatagente donetur, quatenus hiſce SPECVLIS, ſic à me digeſtis in ordinem, ipſemet taliter vti queam, vt vitiis & defectibus propriis detectis ac deprehenſis, non ceſſem, donec exterminentur. Vt te inſti-
Pſ 17. gante, adiuuante, & mecum contra nocentes & aduerſantes mihi depugnante, dicam: Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare; cadent ſubtus
Ioſ. 10. pedes meos. Vt inſtar Ioſue, quinque ſenſibus meis (ceu quinque regibus, vitiorum cunctorum exercitus ductoribus) ſubſtratis, triumphem: vincentique detur manna abſconditum,
Apoc. 2 & nomen nouum: quod nemo ſcit, niſi qui accipit: vt SPECVLATORES facti gloriæ Dei, tecum in æternum collætemur. Amen.

INDEX

INDEX RERVM.

A

Accedendum ad Deum, vt illuminemur. fol. 88. & *seq.* 97. 100. 150. 168. 169.
Acco vetula, sibi in speculo arridens & confabulans. 17
Adhærendum Deo, vt vnus cum eo spiritus efficiaris. 13. 97. 109. 168
Adolescentum vecordia, se consilio speculi refingentium in feminas. 9. 10. 52. 65
Adolescentum quorumdam vesanus erga mulieres amor. 35. 37. & *seq.*
Adulans & simulata libertas. 62
Adulatorum pernicies. 59. 60. & *seqq.*
Ænigmaticum speculum. 143. & *seqq.*
Amani superbientis ruina. 47
Amphora contrita, humilitatis figura. 79.
Angelorum lætitia, in peccatoris cõuersione. 151. & *seqq.*
Angelus, animæ desiderantis patronus, & ad Christum paranymphus. 163
Animæ desolatæ & peccatricis vastitas, & miseranda conditio. 84
Animæ quærentis Deum DESIDERIVM. 1. 69. 89. 90. 97. 99. Idem ferè in singulorũ capitum exordio.
Animæ quærentis Deum, deliquium. 69. 97. & *seq.*
Antiochi superbi depressio & clades. 47
Antonius Pauli consideratione profecit. 138
Archimedes speculo naues hostium incendit. 30
Ardentia virtutum specula. 38. 39
Auditores & non factores verbi, SPECVLATORES *mali.* 3. 76

B

Basiliſci conditio, visu necantis. 33. & *seq.*
Beatitudo, & beatifica visio, in quo consistat. 166. & *seq.* 175

S. Bernardinus adhuc puer, de mulierum periculis monitus. 35
S. Bernardo arbores magistri fuêre. 103

C.

Cæci loti videntisque sequendum exemplum. 87
Carbunculus, lapis, morbus, & vitis exitium. 30. *& seq.*
Cautela aduersus laudem propriam. 50.58.64
Chamæleontis & polypi fraudes. 24. *& seq.*
Charitas timorem expellit. 154. *& seq.*
Christi mors, vita multorum. 145.
Christus in Sanctos refulsit, vt sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis. 145
Christus Magdalenæ, & duobus discipulis in Emmaus, quasi per SPECVLVM ÆNIGMATICVM *apparuit.* 148.149
Christus se occultando, feruentiùs inquiri facit. 150
Christianæ feminæ speculis vti non solent. 16
Christianus, speculum Christi & Dei. 131. *& seq.* 161
Cinerum cæremonia inculcatur. 77. *& seq.*
Cinis, typus humilitatis. 78
Cognitionis Dei, hîc & in patriâ, differentia. 159. *& seq.* 147.
Complacentiæ surculus semper repullulans. 49
Complacentiæ fraus ac detrimentum 43. *& seq.*
Complacendum Deo. 41
Concaui & conuexi speculi differentia. 28
Conformitate opus ad videndum Deum. In Præambulo.
Conflagratio domus, solari radio per feneſtram vitream vstulante materiam. 30
Conflagratio nauium hostilium, speculi ope. 30
Conscientiæ rigida disquisitio. 78.80. *& seq.*
Consolatio animæ desolatæ. 69.100. *& seq.*
Consolatio, in omni angustiâ & casu parata. 111. *& seq.*
Contemplari, quid sit, & vnde dicatur. 67
Continentia, per modum prosopopœiæ, Augustinum ad sui amorem & cultum exhortans. 139

Conuersio peccatoris Angelis gaudium parit. 151. *& seq.*
Conuiuium cæleste, Christo ministranti. 155
Cordis sanatio, purgatio, incensio, rectificatio & coronatio, per S. Scripturæ præsidium. 124
Creaturæ, speculi vice nobis subseruiunt. 101. 106. *& seqq.* 114
Creaturarum consideratio, scalæ instar, exulibus. 101. 102. *& seq.*
Crocodili lacrymæ, adulantium blanda nocentia. 60

D

Dæmonis præstigiis, facies amatorum carnalium in speculo repræsentata. 22
Dæmonis æstus, in sexu fragiliori primùm tentationibus explorando & impugnando. 44
Danielis visio & ecstasis, animæ desideranti applicata. 172
Decem virginum parabola cælesti latitiæ applicatur. 153. *& seqq.*
Decipi quis sciens & videns velit. 24
Deitas & Diuinitas quî distinguantur. 106
Demosthenes sibi in mulierculæ laude complacuit. 63
DESIDERII *videndi Dei inflammatio.* 1.69.89.90. 97.99.162.164. *& seq.* Vide quoque Præambulum.
Deus in luce inaccessibili & in caligine habitat. 169. 171. *& seq.*
Domus ab immundo spiritu liberatæ, mundatæ, & ornatæ, sed tamen vacuæ, dolendus euentus. 93
Duæ tabulæ Moysis, cum duobus Testamentis, gemino speculo comparantur. 115. *& seq.*

E

Ecclesia Catholica S. Scripturam inuiolatam tenet. 129
Eclipsis, speculi ope, inoffensè conspicitur. 29
Elephanti, sanguine mori & vuæ conspecto incensi, imitandorum exemplorum dant symbolum. 140

Esther coram Assuero consternata, animæ amantis, deliquium passæ, typum præbet. 98
Eucastice, picturæ genus, quod inurendo conficitur. 32
Exempla Sanctorum imitanda. 137
Exemplare speculum. 127
Exemplorum efficacitas. 138. *& seqq.*
Exemplum Christi & Mariæ perfectissimum. 134. *& seqq.*
Exilij & peregrinationis istius miseria. 41.66.70.75.99. Vide etiam in Præambulo.

F

Facierum comtarum & luxuriosarum cruciatus. 10.
Facies mentis, piâ speculatione fit pulchrior. 27.56.88. & in Præambulo.
Facies Dei in corde Christiani fulgêre debet. 131.161. *& seq.*
Fallacia specula varij generis. 14. *& seqq.*
Fallere fallíve malíntne aliqui, dubium. 24
Fastus Roboam inconsultus, consilio iuuenum nixus. 61
Fastus & vilitatis propriæ antitheses. 45.48
Felicitas hominis duplex, speculatiua & practica. 71
Festucæ in trabem conuersio, & econtrariò. 81
Filij prodigi conuersi parabola, cæli lætitiæ comparata. 152
Flamma excrescens infusâ lymphâ deprimitur, & superbus humiliatur. 78
Formæ studium, neglectum animæ parit. 17. *& seq.*
S. Franciscus ouiculæ exemplum imitatus. 140
Fratris filij prodigi vecordia & indignitas fugienda. 177
Fredericus Princeps, cocles, se ad speculum animabat. 140

G

Gaudium Domini in cælis, incomprehensibile. 175
Gloria Domini implebat domum Domini. 173. *& seq.*
Gloria inanis, etiam ex defectu captata. 50. *& seqq.*

Gloriæ vanæ ſtultitia: Vide *Vanitas*.
Gratiæ lumen, intellectum videndo Deo adaptat. 55.69. 70.99.& ſeqq.
Guſtus diuinæ præſentiæ diuerſimodus, hîc in Sanctorum palato, vnde. 160.

H

Herodes ſuperbiens, à Deo percuſſus. 64
Holofernes, oculorum ſuorum laqueo captus. 38.58
Hominis inter omnia creata in laudãdo Deo ſocordia. 114
Hominis miſeriæ innumeræ. 73.& ſeqq.
Homo ad imag..em Dei formatus, ſpeculum eius eſt. 131. & ſeqq.
Humanæ ſtructuræ nobilitas & vilitas. 73
Humiliatio ſuperborum ſe efferentium. 47.51.72.76
Humilitas in multis quidem libris docetur, ſed non datur. 134.& ſeq.
Humilitas vera, vilitas propria. 72.& ſeq.77
Humilitatis ſublimitas & celſitudo. 77
Humilitatis neceſſitas. 83.133

I

Iacobus anachoreta, laſciuas deformitate puniuit. 95
IESVS, *ſpeculum & exemplar perfectionis.* 132
IESVS, *ſonat hominem omnimodis abſolutum.* 132
Ignis, ſpeculo excitatur. 28.30
Imitationis efficacia. 138.& ſeq.
Incendiariorum aſtutiam imitatur diabolus. 37.44
Incendium vanæ gloriæ, ſpecioſis paradiſi conſumtis, ſcintillas ambitionis in omnem humani generis ſobolem latè iactauit. 44
Ingratitudo ſummoperè fugienda. 92.& ſeq.
Intellectus noſtri illuminatio. 55.56.69.70.99.& ſeq.
Intrare in gaudium Domini, cui rei comparetur. 176. & ſeq.
Inuidia, baſiliſci inſtar. 34

Ira quomodo ſpeculi ope deprehendi & corrigi queat, & ita de aliis vitiis. 5.& ſeq.
Iracundia ex oculis emicat. 5.34
Iris, ſeu arcus cæleſtis, imperfecta ſolis imago. 3
Iudith conſtantia, in propriæ laudis encomiis audiendis. 58
Iunonis & Iſidis pompa, ſpeculis adornata. 65

L

Labor & dolor, ac miſeria vitæ humanæ. 73.& ſeqq.
Labri ænei ex ſpeculis confecti myſterium. 87
Laminæ thuribulorum altari affixæ, quid memorent. 88
Lauandum cor à malitiâ. 85.90
Laudis alienæ ſtudioſa captatio. 62.65.& ſeq.
Laudandus Deus in omnibus. 113
Leproſi mundati & grati exemplum imitandum. 89. 93
Leproſi mundatio imitanda. 89.& ſeq. 91
LEX LVX, *ſpeculum ſacræ Scripturæ.* 120
Liber, vt magiſter optimus, Chriſtus; dans quod docet. 134. & ſeq.
Libertas fucata & adulatoria. 62
Libri, SPECVLI *titulo inſigniti.* 116. & ſeq.
Lilia agri, & volucres cæli, nos docent. 109
Lucifer ſibi complacens, lapſus eſt. 43
Luciferi lapſi metamorphoſis. 47
Luminare maius & minus, IESVS & MARIA. 136
Luminis mentis, deſiderium. 55.69.70
Lunæ ſtultique conformitas. 16.& ſeq.

M

Machabæorum deuotio, in loco ſancto mundando. 84. 85
Magiſtro ſtulto vtuntur homines ſui iudicij. 51
Mala ſponte naſcuntur, & diſcimus: bona è contrario. 80

Manum

Manum in sinum conscientiæ mitte, & leprosam extrahes. 80
MARIA *virgo, virtutum exemplar singulare.* 137
Mariæ Magdalenæ, & Mariæ Moysis collatio. 92
Marmorea Hecate tanti splendoris, vt spectantium oculos læderet. 29
S. Martinus in nudo Christum operiens ouis exemplo. 140
Meliorum doctiorumque consideratio, quàm vtilis. 138
Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris: meritò expendendum mortali. 76
Mendax & fallax speculum, varij generis. 14. *& seqq.*
Misericordiæ imploratio. 97
Monstrosæ quorumdam speculorum effigies. 21
Mulieres in lasciuiæ pœnam, deformes effectæ. 95
Mulier tactu viscus, visu basiliscus. 35
Mulieris impudicæ obtutus, & dæmonis halitus, prunas in corde viri, coniunctis operis, ardere faciunt. 37
Mulierum profluuio, nihil in omnibus noxiis nocentius; & hoc tamen nutritur fœtus, gestatus in vtero. 74
Mundandum quod intus & deforis est. 94
Mundandum cor, & vngendum. 85. *& seq.*
Mundus, fallacium speculorum fallacissimum. 19. *& seq.*
Mundus vult falli & fallere. 24
Mundus, à Sanctis, vt è cælo despicientibus, parui fit. 130. *& seq.*
Mundus bullaris in conchâ, typus inanis gloriæ. 20

N

Naamani mundandi iudicium proprium euitandum. 86
Nabothi iniustè interemptus à Iezabel. 59
Nabuchodonosor pueros immaculatos quærebat, Deus autem mundos facit. 89. 91
Naturæ prudentia, in parte hominis speciosiore propalam exponenda. 43

Noëmi modesta humilitas, & laudis fuga. 64
Notitia sui, Deum aliquando videre volenti, cum primis necessaria. In Præambulo.
Nuptiarum regalium parabola, cælestibus epulis applicata. 155

O

Oculi mulierum, specula vstulantia. 34. *& seq.*
Oculi alieni, speculum laudis & adulationis. 55. 58. *& seq.*
Oculus, naturæ speculum: &, speculum, artis oculus. 85
Operum Dei quàm vtilis consideratio. 101. 104. 107. *& seq.*
Operum Dei neglectus meritò puniendus. 112
Otho Imperator, speculo vtebatur in bello. 42
Ouiculæ exemplum, ex duabus tunicis alteram dantis non habenti, iuxta Euangelium. 140
Ouis perditæ & inuentæ parabola, cælestium gaudio applicata. 152

P

Parabolarum sublimitas & efficacia. 151. *& seqq.*
Parasitorum nocentia. 59. *& seq.*
Pauonis speculatio vtilis. 76
Peccati miseria. 81. 84. *& seq.*
Peccati carnalis, obscœnitas. 80
Pedum lotio supereſt, ceterùm lotis. 93. *& seq.*
Peregrinationis huius miseria. Vide *Exilium.*
Perspiciendum in lege Domini, ad rectè speculandum. 122. *& seq.*
Philautiæ pernicies. 46
Plato iubebat discipulos ebrios se in speculo contemplari. 6. 171
Platonis sententia, de Veritatis cognitione, & beatitudine. 171
Prouidentia Dei, magno solatio miseris. 112

Puella

Puella venenis nutrita, serpentis naturam induerat. 36
Puerilitas vanè gloriantium. 45. *& seq.*
Pulcher sponsus Christus, sponsam pulchram, & castus castam desiderat. 2. 169
Pulchritudinis fallax species. 24
Purgandæ sordes mentis, ad speculũ: quomodo. 88. *& seq.*
Pythagoras suis ad solem speculo uti mandabat. 6

Q

Quare in speculo concauo, facies speculantis inuersa appareat. 21
Quare in speculo facies introrsum videatur abscedere, quando quis ab illo recedit; &, quando accedit, accedere: minui quoque in recessu, in accessu augeri. 130
Quòd sit, sed non quid sit Deus, vmquam in hac vitâ cognosci potuit. 105
Quomodo fiat, vt operâ speculi, fomes accẽdatur. 28. 30
Quo pacto vultum animi in speculo liceat contemplari. 4. *& seqq.*

R

Risu digna, sibi complacentium vanitas. 45. *& seq.*
Roboami insipiens consiliũ, ab adulatoribus acceptũ. 61
Rosa quidem sine spinis non crescit, sine illis tamen prudenter decerpitur: ita charitas foras mittit timorẽ. 156

S

Sacerdotes non contemnendi. 95
Sacerdotũ Ecclesiæ, diuina absoluendi potestas. 91. *& seq.*
Saltantium pro sponsâ certatio. 51
Sancti sideribus comparati. 143
Sancti, specula virtutum. 137. 143. *& seqq.*
Sapientium ethnicorum illustratio à Deo. 103. 106
Sapientium mundi stultitia, & merita pœna. 108.
S. Saræ virginis de tentatore triumphus. 50
Saul rex, humilis euectus, & sublimis deiectus. 53
Scipionis filiabus dos à Senatu Romano attributa. 8

S. Scripturæ speculum perillustre. 118. 120. *& seqq.*
S. Scripturæ opulentia, fœcunditas, virtus. 121
S. Scripturæ inæstimabile pretiũ, & thesaurus. 121. 127
S. Scripturæ per hæreticos deprauatio. 128
S. Scripturæ in solâ Ecclesiâ Catholicâ candor & illibata integritas, 129
Seductores Cain & Iudam imitantur. 24
Semiramidis heroicus actus, ignauos redarguens. 42
Senes impuri in Susannam innoxiam exardescentes. 37
Senes & anus non appetunt specula. 15
Sepulchra dealbata, intus fœtentia. 81
Signaculum super cor & super brachium Christus. 161
Simiarum instar, aliqui animam suam proprio amore conficiunt & suffocant. 46
Socrates discipulos suos speculum intueri iubebat. 6
Sol inoffensis oculis speculo cernitur. 28. *& seq.*
Speculum ad videndum Deum, est anima rationalis. In Præambulo.
Speculo quomodo mentis affectus prodi queant & corrigi. 4. *& seq.*
Speculum mentis humanæ, facies. 5
Speculorum inuentio primùm fortuita, & primus vsus. 7
Speculorum abusus & luxus. 7. *& seqq.*
Speculatores cæci, muti, dormientes, qui. 13
Specularius lapis, typus oculorum spiritalium. 56
Speculorum abusum etiã in viris antiqui carpebant. 52
Specula & labrum, examen conscientiæ & Confessio. 87. *& seq.*
Speculi boni conditiones quatuor, S. Scripturæ attributæ. 118
Speculis officiunt varia. 128. *& seq.*
Specula concaua & conuexa, in effectu contraria. 28
Speculo vicina, magna apparent; remota verò parua: æstimationique & contemtui rerum terrenarum comparatur. 130. *& seq.*
Speculorum istorum vtilitas, vt formetur in nobis Christus. 133. 159. 161

Spon-

Sponſus & ſponſor noſter, Chriſtus. 97
S. Stephani facies, inſtar angeli apparuit, aßiduâ cæleſtium ſpeculatione. 56. & ſeq.
S. Stephanus vidit cælos apertos. 162
Stultus, vt luna. 16
Superbi nec ſponte ſuâ reſipiſcunt, nec moniti agnoſcunt errorem. 44. 46. 48. & ſeq.
Superbiæ & faſtus intolerabilis tumor. 45. 72.
Superborum ſibi adblandientium vanitas. 53
Suſanna caſtiſſima. 37
Suſannæ oleum & ſmigmata, myſtica. 85. & ſeq.

T

Templi vocabulum, vnde ortum. 57
Templum Salomonis plenum gloriâ Domini; gaudium Domini. 173. & ſeq.
Tentatio complacentiæ in primis parentibus. 43. & ſeq.
Terra mobilis, homo: vt talpæ emolumentum. 79. & ſeq.
Teſtamentum vtrumque, geminum ſpeculum. 115
Teſtamenti vtriuſque Sanctorũ, collatio exemplaris. 144
Theſauro Ezechiæ Babyloniis oſtenſo, S. Scriptura comparata. 119. & ſeq.
S. Thomas Aquinas in Reginæ vultu, B. MARIÆ *pulchritudinem contemplans; nos docet, ex terrenis ſpeculari cæleſtia.* 111
Tigris, rapto catulo, obiecto per viam orbe ſpeculari, à raptore decipitur: quid ad mores iá faciat. 22. & ſeq.
Trabis & feſtucæ ſiniſtra conuerſio. 81

V

Vanitas ſe ad ſpeculum oblectantium. 17. & ſeq.
Vanitas complacentiæ, ex puerorum colludentium more collecta. 45. & ſeq.
Vanitas ſibi ſoli quoque gloriantis. 49
Vanitas, inſtar equarum quarumdam, ex vento Fauonio concipientium. 53
Vanitas laudis emendicatæ. 45. & ſeq.

Videndi Dei DESIDERIVM. 55. & in Præambulo. Vide DESIDERIVM.
Vilia varia, quibus homo confertur. 75
Vilitatis propriæ speculum & agnitio. 71. *& seqq.*
Virtutum omnium exempla in Sanctis recẽsita. 133. 144
Visionis diuinæ varietas. 71. *& seq.* 100. *& seq.* 146. *& seqq.* 150. *& seq.* 159. *& seqq.*
Vitia animi, ad speculum vti corrigi possint. 4. 10. *& seq.*
Vredo, vrtica, vstulatio. 32
Vstulans speculum; proprium, & metaphoricum. 30. 34. *& seqq.*

X

Xerxes insignem platanum armillis & catenis aureis adornauit. 79

Z

Zacchæe, festinans descende: humiliare, IESVM *videre desiderans.* 162. *& seq.*
Zacchæum staturæ pusillitas & turba à conspectu IESV *impediebat.* Vide initium Præambuli.
Zelus honoris diuini in vultu Oniæ, velut in speculo quodam emicabat. 38

ERRATA.

Pag. 3.	*lin.* 3. *à fine*	adiutor	*lege*	auditor
Pag. 9.	*lin.* 6.	optatim		optatum
Pag. 67.	*lin.* 3. *à fine*	iniustus		iustus
Pag. 84	*lin.* 13.	frater		fratres
Pag. 116.	*lin.* 18.	opponitu		opponitur
Pag. 134.	*lin.* 2.	humilis		humilitatis

APPROBATIO.

HÆc Specula R. Patris Ioannis Dauid Societatis IESV Presbyteri nihil habent contrarium noſtræ Religioni Catholicæ: ſed plurimum adiumenti adferunt iis qui Deo in perpetuum perfrui optauerint. Digna igitur iudico vt in publicum diuulgentur. 11. Nouembris, M. DC. IX.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum eſt; nequis *Duodecim Specula Deum aliquando videre deſideranti concinnata, Auctore P. Ioanne Dauid Soc.* IESV *Sacerdote*, præter voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpienſis, intra octennium vllo modo imprimat, aut alibi impreſſa, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XVI. Ianuarij, M. DC. X.

Signat.

N. Lombaerts

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD IOANNEM MORETVM.

M. DC. X.

LABORE ET CONSTANTIA